PHLEBOTOMIÆ NECESSITAS,

ASSERTA

A SEBASTIANO BADO,

In Variolis, Morbillis, Exanthematis, Etiam apparentibus.



GENVÆ,

Typis Petri Ioannis Calenzani. M.DC.LXIII.

Superiorum permissu.

ILLVSTRISSIMO DOMINO

IOANNI AMBROSIO DE MARINIS,

PATRITIO GENVENSI.



CVI meliùs dicari poteſt liber iſte *Medicinæ*, quàm tibi Illuſtriſs. IOANNES AMBROSI, qui mihi *Apollinis* inſtar es? Scio Apollinem cum Muſis aſſueſcere, & in *Helicone Monte* apricari, ſed ſcio quoque Medicinam prognatam, & ab eo quodammodò *fluxiſſe*. Hoc teſtatur *Ouid.* 1. Met.

Inuentum Medicina meum eſt, opifexq; per orbem
Dicor, & herbarum ſubiecta potentia nobis.

Vide igitur, quàm meritò tibi debitus ſit *liber iſte*, non tàm, quia de *tuo* eſt, quàm quia de *meo*, & à me, qui tot nominibus tibi obſtrictus ſum. *Apollinem* te dixi, nec immeritò, enimuerò tàm arctè *amœnas* litteras, cum *ſeriјs*, & *grauioribus* copulaſti, vt facto veluti fœdere, & *connubio*, in te vno coiuerint; tàm *feraci ſobole*, & propagatione,

vt de *tuis libris*, mentis tuæ *liberis*, Orbis litterarius, & gaudeat, & opiparè ſaginetur; tam *perenni ſtabilitate*, vt *Typographos* penè fatigarint, tàm ſæpè, tàm multis in locis, typis commiſſi fuere, denique tàm benè *ad eloquentiam inſtructi*, & ad lepores, vt *mulſam*, vbique de *eloquio* fundant, animoſque mortalium, mirum in modum capiant, & alliciant. Sed quid mirum! *Ambroſiam* à te ſuxere, qui totus *Ambroſius* es, *Melos* quoque, qui in Poeſi, & in Muſica *olor* es. Nolo de tuis virtutibus. Inſinuo tantùm, à morum integritate, ingenio facili, atque officioſo, conſtanti in Deum pietate, te multò nobiliorem effici, quàm cæteroqui ſis à tuo *genere*, planè nobiliſſimo.

Nolo inſpergere atramento *tuum* illum, & eximium *Animi candorem*, quo mirè candicas, & *Armenium murem* vnice imitaris. Vale. Genuæ die 1. Octob. 1663.

Illuſtriſſimæ Dominationis tuæ

Addictiſſimus

Sebaſtianus Badus.

LECTORI AVCTOR.



IN *scenam descendo, vel potiùs in* arenam, *vt pugnem cum Medicis quibusdam, qui se Catoniano supercilio* censores *faciunt aliorum, quorum studium, & laus præcipua est*, detrahere *alienis curationibus, & eas, vt* perperàm *factas propalare; non quidem, vt* Apelles post tabulam *faciebat, vt* censuras *aliorum audiant, sed vt ipsi faciant, &* curationes *criminentur; qui quanquam* procùl *positi, nec curationibus adhibiti, meliùs se vidisse nihilominus putant, quàm qui* propè *adfuere, inspexere. Cum his modo disputo* palàm, *eosque de* latibulis *in lucem prouoco, & in* pugnam. *Volo in præsentia probare, nec frustrà probabo*, licere Medicis, *in* apparitione variolarum, morbillorum, & exanthematum *sanguinem sæpè mittere; vt hinc appareat, quàm* graphicè, *& secundum Artis Regulas id factum fuerit in Illustriss.* D. Andrea

Medici detractores.

Spi-

Spinula, *cui vena ex brachio secta fuit, in variolarum apparitione, frustrà clamantibus* vulgo, & vulgaribus *contrà assertam praxim, quàm si quis adhibeat, quid non garriunt, quid non buccinant? Hanc puto esse* lapidem offensionis, & petram scandali, *in quam* vulgus, & vulgares *impingunt sæpè*.

Interim scito, me, qualiscumque sim, nec tantillum moueri vulgi *quærimonijs, & subsannationibus* vulgarium. *Scio imò, quòd* Æsculapius *ipse Medicinæ Magister, à* Ioue *per inuidiam fulminatus est, & prostratus, non ob aliud, quàm quia,*

Ouid. ------ Nimium nouerat Artis opem.

Ego non ampliùs. Nam sapienti pauca. Vale.



§. I.



§. I.

Recensetur morbi Historia.



Ense *Martio* Anni 1663. decubuit in lecto cùm *febri continua*, *acuta* Illustriss. *Andreas Spinula*, Illustriss. *Christophori* filius, cui tertia die, apparuerunt *variolæ* rubri coloris, cum febris *incremento*, quam comitabantur *vrinæ turbatæ*, *pulsus magni*, & validi, ad hæc *febris ansiosa*, *noctes insomnes*, *& inquietantes*, nec multò post *delirium*, vltimò tandem *phrenitis*, ex qua obijt mense Aprili, in xj. morbi die.

Porrò hic *iuuenis* erat, Æt. 24. Annorum, temperamenti *sanguinei*, cum signis *plethoriæ*, nedum ad *vires*, sed ad *vasa*, iuncta quoque *semicacochymia*; qui prætereà assueuerat *opiparè* vesci, & affluenter. In *ea tertia die*, manè vocatus fui, *consilij* causa, vt simul cum cl. *Ioan. Horatio Gagliardo*, viro meherclè ingenioso, & in *Medicina* docto, eius Medico, periclitanti Iuueni *mederemur*.

Nos, visis signis, consideratis diligenter symptomatis, febris facie, & Idea, in Iuuene, cum ea corporis *paratura*, *morbi magnitudine*, & *sanguinis plenitudine*, *tempore verno*, sine mora, præmisso clistere, *vnanimiter* decreuimus mittendum *esse sanguinem* ex brachio, pertusa *basilica* dextri lateris. Nec *tantillum* metuendum diximus (quod faciunt Medici vulgares, & ipsum vulgus) de *retrocessu* variolarum, quæ iàm eru-

eruperant, à sanguinis missione: nàm motus ille *symptomatis* naturam potiùs referebat, quàm *crisis*, fiebatque sine vlla *conferentia*, & *tolerantia*, vno verbo, exibant *variolæ*, non per *metastasim*, sed per *epigenesim*, præcipuè in tanta symptomatum *congerie*, corporis *paratura*, & plenitudine. Imò sic sanguine misso, diximus naturam promptiùs, *deposita sarcina*, emissuram *foràs variolas*, & internam colluuiem, quod exitus probauit, magno numero *variolis* posteà erumpentibus, ad *myriades* vsque. Sic fecisse *Galenum* in exitu *parotidum*, qui *venas* in his, cum opus est, tundendas iubet, sic me Galeni imitatione, perindè egisse in pluribus, præcipuè in Illustriss. *Octauio Sauli*, qui febri *synocha* laborans cum *parotidibus* mitioribus, sed cum *signis plenitudinis*, misso sanguine, euasit à febri, quæ præ foribus aderat, mali moris, & iam putredine initiata. Vtinamque posteà ab alia euasisset, quæ omnem curationem, & omnia Medicinæ *ingenia* in eo adhibita superauit, elusit! tàm verum est quod nonnemo scripsit,

Contrà malum mortis, non est medicamen in hortis.

Itaq; missus ei sanguis fuit (redeo ad *Spinulam*) ad mensuram *semilibræ*, & non ampliùs.

§. II.

Scriptoris intentum.

EGO, hoc exemplo proposito, probare volo, in *peticulis*, *variolis*, *morbillis apparentibus*, licere aliquandò Medico sanguinem mittere; putoque interesse *Reipublicæ* hoc *semel* scire, vt deinceps audenti animo, & imperterrito medeantur *Medici*. Volo quoque eius, quam instituimus, *curationis*, rationem reddere (alioqui, *turpe est ignorare artem, quam quis profitetur*) non tàm *vulgo*, quàm si opus sit, ipsimet *Aristoteli*, de quo *Dantes* aliquandò dixit,

l.2.§.seruius ff. de orig. iur. & alib.

Vidi il Maestro di color, che sanno.

Qui

Qui Aristoteles *causam* curationis æger poscebat, sibi propositæ à *Medico*, vt se *morigerum* ei præberet, & obsequentem, quod refert *Aelianus* de var. Histor. & quia *Medicus* ille, causam reddere nescijt eorum, quæ facienda ipsi præscripserat, *mox* valere iussus est ab *Aristotele*. *O Quoties*, & *Quot Medici*, si ab *Aristotele* interrogarentur in *causa scientiæ* valere, & abire iuberentur! N. B.

Alioqui quàm facilis esset, & *scitu*, & *factu* Medicina! *Optimus Nauclerus*, in magna maris tempestate, furentibus ventis, & inquietantibus, alijs ingenijs vtitur, quàm cùm in *tranquillo* nauigat, & *malacia*.

Sic *optimus Medicus* (comparat ità Hippocrates lib. *de vet. Medicina*) in magna corporis tempestate, morbis magnis furentibus, & symptomatis discrepantibus, *aliter* Medicinam facit, quàm cum in *tranquillo* morbi sunt, nec furiunt. Nimirùm *vrgentia* sæpè facit in morbis, vt *diuersè* admodum medeamur, quàm cùm res planæ sunt; adeoque non sequimur communem, & *tritam sæpè Methodum*; quod quià non intelligunt *vulgares Medici*, sæpè errant, magno vtique mortalium damno. Verùm antequam de instituta quæstione agam, tangendum est hic aliquid de sanguinis missione, & de *scopis* mittendi sanguinem. N. B.

§. III.

De Scopis mittendi sanguinem.

DIsputant multi de *Scopis* mittendi sanguinem, volentibus alijs cum Hippocrate in 4. *de Acut.* Scopos mittendi sanguinem, esse *tres illos*, ab Hippocrate *dictatos*, à Galeno *receptos* (quanquam hic aliquandò plures esse velit) *morbi* scilicet *magnitudinem*, *robur virium*, & *ætatem florentem*; alijs volentibus, cum his esse *plenitudinem* sanguinis, vel *præsentem*, vel *futuram*, quàm præcipuè pro-

pugnauit *Horat. Augenius*, impugnauit *Al. Massaria*, osor istius plenitudinis præcipuus, & magnitudinis morbi propugnator acerrimus. Quæ *quæstio* inter illos, ingentes *rixas* mouit, & multas *paginas* impleuit. Ego nolo de his agere in præsentia, quanquam dicam aliquid, quod miror ab alijs non fuisse animaduersum.

Censeo itaque *magnitudinem morbi, robur virium, & ætatem florentem*, indicare venæ sectionem faciendam, & quòd positis his Scopis, necessario sit mittendus sanguis, ità vt hæc, sanguinis scilicet missio, & tres illi antedicti Scopi, dicantur ad *conuertentiam*. Sed non ideò putandum est, me reijcere *plenitudinem*, saltim aliquam, & *incompletam*, quæ in tribus illis Scopis continetur. Et probo *à priori*, nàm qui inter Scopos mittendi sanguinem, *robur virium* enumerat, insinuat quoque aliquam sanguinem *plenitudinem*, in ætate presertim florenti, quæ vna est è conditionibus necessarijs, ad poscendam sanguinem missionem. Alioqui, dic mihi, quomodo *vires* constent sine vitali succo, aut in sanguinis penuria?

Accedo ad *Galenum*, qui plenitudinem cum morbi magnitudine coniunxit, lib. 4. meth. med. cap. 6. Audi tantisper. *Sicut missio sanguinis vel propter ipsius plenitudinem, vel propter morbi magnitudinem, ità purgatio, & propter abundantiam alterius succi, & propter vim adhibetur*. Sic Galenus, vtiq; non excludens *plenitudinem* à prædictis tribus Scopis, per *particulam* disiunctiuam *vel*, vt legenti patet.

Lib. de Scop. mitt. sãguinem. Nec repugnat *Massarias*, quamquam osor sit *plenitudinis*, & morbi magnitudinis retinentissimus, ità enim quandoque ait, *si plenitudo conueniat cum altera, quàm suggerit morbi magnitudo, sanguis mittitur hilarè, & copiosè, sin autem dissentiat, sanguis mittitur restrictè, & timidè*. Sic Massarias.

Pag. 80. Ergò per te *Massarias*, saltim ad mittendum sanguinem copiosè, non satis erit *morbi magnitudo*, alioqui *timidè ages*,

&

& *restrictè*, sed requiretur *plenitudo*, quod toties, & tàm proteruè negasti.

Optimè *Mercurialis* probabat, *plenitudinem* indicare sanguinem missionem, quia scilicet repletio sanguinis, est contraria depletioni, seù euacuationi, adeoque cum contraria, contraria quoque indicent, *rei natura, & ipsa ratio postulat, vt cum sanguinis detractio sit euacuatio, ipsius contrarium sit sanguinis repletio*, aut, si mauis, ità dicere, plenitudo. Lib. 5. de febr. cap. 8.

Id verò nedùm intelligo de *completa*, sed de *incompleta*, & *partiali plenitudine*, in qua miscetur sanguis cum alijs humoribus. *Galenus* nobis hanc rem declarauit, & süo firmauit exemplo; mittit enimuerò sanguinem in *sanguinis melancholici* exsuperantia, *lib. de Phleb. & 3. de loc. aff.* in sanguine *cum bile*, vt in febrib. ardent. & Synochis, 1. *Aph. com.* 23. & *lib.* 9. *Therap.* in his, qui sunt *Epilepsiæ* obnoxij, & *Apoplexiæ*, *cit. lib. de Phlebot.* facit etiam in febre *Ephemera*, quæ procedit ab obstructione, cum crudis succis, ne in putridam transeat, quanquam non adsint *plenitudinis* signa, *lib.* 8. *Meth. med. cap.* 4. quod intelligo de *totali*, non *partiali* plenitudine, *facit*, & *consulit* faciendum in *omnibus febribus putridis*, in quibus ait, optimum esse sanguinem mittere, & suppositis supponendis, *necessarium*, vt *Guastauinus* in *Pisana Schola*, meus olim *Præceptor* adnotauit; quia scilicet in his febribus sua saltim est *partialis* plenitudo, & *incompleta*, quod optimi Auctores adnotarunt. *Hier. Mercur.* loc. cit. & *Ioann. Baptist. Cortes.* decad. 7. Miscel. Medicinal. N. B. 11. Meth. cap. 1. De loc. Select. cap. 34.

Ob hanc *sanguinis*, & *humorum mixtionem*, factum puto, vt aliquandò inuicem dissenserint *Medicinæ Proceres*, & Magistri, in proponendis diuersis, & *contrarijs* Remedijs, *vni morbo*, & *homini adhibendis*.

An non *Hippocrates*, in curanda pleuritide, *purgantia* præfert *sanguini mittendo*, *Galenus* verò sectionem venæ potius eligit, contrà Hippocratis mentem, & sententiam? *Vide* N. B.

Hippocratem 2. *de rat. vict. in Acut.* 11., & *Galenum in eius loci comm.*

An non quoque dissentiunt in *fractura calcis* curanda; vtpotè cum *Hippocrates* pharmacum *purgatorium* seligat, non ità *Galenus*, qui *sanguinem* mittendum potiùs hortatur? Vide *Hippocratem* 2. *de fractur. cap.* 71. & *Galenum eo loci.*

Certè non sunt istæ *quæstiones* de *tribus capellis*, aut de *lana caprina*, sed magni sunt momenti in *Medicina.*

N. B. Et miramur, quandoque dissentire, siuè de *morbi essentia*, siuè de *Remedijs agendis*, Medicos, qui minùs sapiunt *Hippocrate*, & *Galeno*! Ego certè non miror. Miretur, qui minùs sapit, aut potiùs, qui nihil sapit.

Idem *Galenus* in 14. *Meth. med. cap.* 8. in quodam ægro, cui *lingua intumuerat* adeò, vt eam per os exserere nequiret, *anceps* satis fuit, vtrum *pharmacum* propinaret, an verò *sanguinem* mitteret. Imò aliquandò visus est consulere, vt si fortè æger renuat *venæ sectionem*, vel propter *ætatem*, vel propter *metum*, substituat ei Medicus *pharmacum purgatorium*; tàm incertæ sunt *aliquandò*, ob dictam mixtionem, aut sanguinis mittendi, aut purgandi indicationes.

Lib. 4. de tuend. val. cap. 4.

Certè *Hippocrates*, & *Galenus*, tùm alibi, tùm *lib.* 4. *cit. Method. cap.* 6. *exsertè* docent, *morbi magnitudinem*, non solùm *venæ sectionem*, sed etiam *purgationem* indicare.

Quis autem *Mercurius* in hoc *binio*, viam nobis ostendet, qua transeundum tutò sit, nisi *signa plenitudinis*, se se nobis antè oculos obtulerint? Sic enim coeuntes *symplegadas*, & *anceps* periculum illæsi vitamus. Sed redeo.

In ea verò *cacochymia*, quæ perfecta est, & *completa*, nullo modo mittendus sanguis est, & prohibet fieri ità *Galen. lib.* 4. *de tuend. val. cap.* 4. Et ratio est in promptu, quia tunc humor, inquit, *desciscit à natura sanguinis, quarè non est mittendus sanguis*. Propterea in morbis licèt *magnis*, in quibus non est sanguinis abundantia, sed sanguinis inopia, non mittitur

san-

ſanguis, vt in *Hydrope*, niſi forſam oriatur à ſanguinis *retentione*, neque in *febri hectica*, quia magna eſt *inopia* in ea ſanguinis, imò & cuiuſcumque vitalis humoris.

Ex dictis colligo, nedùm *magnitudinem* morbi, ſed *plenitudinem* indicare venæ ſectionem, & quò maior fuerit *plenitudo*, eò *largiùs* faciendam eſſe miſſionem ſanguinis, ipſo fatente *Maſſaria*, quod ſuperiùs vidimus; imò ſecandam quoque venam eſſe, in *mixtione ſanguinis* cum alijs humoribus, ab eo diuerſis, quod eſt dicere in *cacochymia partiali, incompleta*, & *ſecundum quid*, quomodo eam vocat *Horat. Augen. lib. 4. de ſang. miſſ. cap. 2.* at non in ea, quæ *perfecta* eſt, & *completa*, quàm vocare libet cacochymiam *ſimpliciter*; quæ omnia ſuprà probata à nobis fuerunt.

§. IV.

De Plenitudine obiter.

QVia de plenitudine aliquid inſinuatum ſuprà fuit, dicamus de ea *tantillum*, ſi placet.

Humorum repletio *gemina*, vna in *quantitate* peccantium, quæ *plethora* dicitur, altera in *qualitate*, quæ *cacochymia* vtraque item duplex, pro vt *vaſorum* capacitatem intendit, & replet, aut *vires* quæ corpus regunt vitales, naturales, animales degrauat. Omne namque quod plùs eſt in corpore, confertur cum *vaſis*, & *viribus*, 2. Aphor. Com. 17. Omnis igitur nimietas, ſeù repletio eſt ad *vaſa* referenda, vel ad *vires*. Eſt autem *plethora*, vt ſic, *ſuccorum aquabiliter ſe habentium redundantia*, 2. & 3. de tuend. ſanit. & 13. Therap.

Magis propriè *plethora* eſt, vbi *ſolus ſanguis* augetur, 2. *de Comp. Medic.* continetque vltrà copiam, ſanguinis bonitatem. Impropria *plethora*, eſt cum *miſcella* aliorum humorum, vt quandò cum *bile* exſuperat ſanguis, & vocatur è bile *ſubpallida*,

pallida, à *pituita*, *subalbida*, & cum *bilis atræ* societate, *subnigra*; nàm *rubicunda* spectat ad *solius sanguinis* copiam. In his tamen omnibus *sanguinem* simul augeri oportet, si enim ceteri humores soli exsuperent, non *plenitudinem*, aut *plethoram* faciunt, sed *cacothymiam*.

His positis, dico primo *plenitudinem solam*, vt sic, non indicare necessariò *sanguinis* missionem, est contrà *Menodotum*, & *Empyricos*, quia alijs quoque *ingenijs*, & minoribus, tolli potest, vt patebit infrà.

Distinctio plenitudinis.

Secundo distinguo de *duplici* plenitudine, *altera* quæ est *finitima* morbo, *altera*, quæ à morbo distat, quam si quis *remotam*, vocet, non repugno.

Finitimam voco, quæ vel morbo *copulata* est, vel statim in morbum *transitura*.

Remotam voco, quæ distat à morbo, in qua quidem non est *necessariò* mittendus sanguis, cum possit alijs ingenijs depleri plenitudo. Hoc pluriès docuit *Galen.* & potissimum lib. 4. Meth. Med. cap. 6. *Si quis enim*, ait, *sanus*, *nec adhuc quicquam læsus*, *in sanguinis redundantis concursu sit positus*, *non statim huic mitti sanguinem est necesse*, *imò alij satisfacit inedia*, *alij soluta aluus vel purgatio*, *vel frequentius balneum*, *alij sola exercitatio*, *vel multa frictio abundè fuit*. Hæc *Galenus* ibi, & alibi, vt in *lib. de cur. rat. per sang. miss. cap.* 10. & *lib.* 4. *acut.* 19.

At in ea *plenitudine*, quæ est *morbo finitima*, vel *copulata* cum morbo, puto *necessariò* mittendum esse sanguinem, præcipuè si adiuncta sit *plenitudini* morbi *magnitudo*, nàm vt suprà ex *Galeno* visum, sanguis mittitur, *vel propter ipsius plenitudinem*, *vel propter morbi magnitudinem*. Sic agit *Hippocrates* in Athletis, quorum habitus quanquam optimus, & succi plenissimus, iubetur ab Hippocrate soluendus, misso vbertim sanguine, & confestim; nam *qui solitò nitidior est*, *suspecta bona sua habere debet*, vt graphicè loquitur *Corn.*

Lib. 4. M. M. cap. 6.

Celsus

Celsus, facit id *Hippocrates*, glossante Galeno, ne ob immodicam vasorum copiam, *phleborrhagia*, seu venarum disruptio fiat, aut calor natiuus extinguatur, non *morantes*, ait Galenus, *sed anticipantes solutionis periculum*. Lib. 2. cap. 2.

Sic Galenus ducit sanguinem in *synocha*, ad animi vsque deliquium, nedum in ea quæ *putris* est, sed in ea quæ est *imputris*, & spectat ad *ephemeras*, lib. 9. Meth. cap. 4. Et tamen febris *ephemera*, vt sic, non indicat sanguinis missionem, nec in *causa*, ob plenitudinem indicat, nam alijs ingenijs procurari potest sanatio; tamen ea *plenitudo* est *vltimò* dispósita, ad concipiendam putredinem, vno verbo, est *finitima morbo*. Sed quidni faciat hoc *Galen.* in sanguinis *redundantia*, & *morbo proxima*, si facit in morbis leuioribus, vt in *ephemera* ab obstructione, vbi nedum sanguis redundat, sed *crudi* humores, diuersi à sanguine cum ea sunt, vt videre est *lib. 8. Meth. Med. cap.* 4. timens scilicet Galenus futurum, qui præ foribus adest, magnum morbum; & febris *ephemeræ*, in putridam conuersionem?

Ceterum *magni vsus* est in Medicina *sanguinis missio*. Hæc iuuat *febrim*, qua febris est, saltim per accidens, nam est præsidium *refrigerans*, iuxtà *Galenum* 1. *Aphor.* 23.

Iuuat *putredinem*, nàm putredo tollitur alteratione, & euacuatione, ex Gal. documento *in Art. Med. cap.* 89. & ratio est, quia *educta* sanguine, necessariò *educitur* putredo, sicut per sanguinis missionem educuntur *singuli quique humores*, quidquid garriat *Andræas Thurinus*, causatus *pituitam* suo lentore, *choleram* sui subtilitate, *melancholiam* sua crassitie, *fixas* esse in venis, nec moueri tantillum posse, quod miror dictum ab eo, cui cor in pectore salit, vt necesse sit dicere, Tract. de ven. sect. in febrib

O rem ridiculam Cato, & iocosam?

Fit etiam sanguinis missio ob *reuulsionem*, *deriuationem*, ob *casum*, *vulnera* illata &c. de quibus non ago in præséntia.

Tan-

Tandem in *febribus putridis* sanguis mittitur, quia saltim in illis *plethora* quædam subest *incompleta*, & quia secta vena, *exspirat igneus*, & *fuliginosus vapor*, qui à *corde*, *venis*, & *arterijs* confertim dimanat, alioqui *conclusus* densis venarum
N. B. tunicis. Secta namque vena, patentior paratur aditus, & exitus, facto velut *camino* in corpore, per quem igneus, fuliginosusque ille vapor exspirat, vt *graphicè*, & ingeniosè
Comm. 3. in Art. Medic. monuit *Ioannes Argenterius*. Hinc sapienter *Valles*. in sua Medendi Methodo lib. iv. quæ mihi carior est *auro obrizo*, sic aiebat,

Nullum morbum ferè esse puto, cuius curationem à missione Sanguinis non inchoem: quia ea non præmissa, vix vlli remedio locus est.

§. V.

An apparentibus variolis, morbillis, exanthematis, liceat sanguinem mittere.

RE spondeo, videtur primo intuitu, quod non. Et ratio est, quia *quò natura vergit eò ducere oportet*, vt per *Pythium Apollinem* loquitur Hip. 1. Aph. 21. & Galenus eò loci confirmat. Nec ratio deficit, cùm ab *intùs* ad *extrà* fiat transmissio humoris peccantis, fiat *metastasis* à parte nobili ad ignobilem, quæ non est impedienda per sanguinis missionem: hoc enim pacto reuocatur humor noxius à *circumferentia* ad *centrum*, qui hærebat cuti. Sic *erysipelas* ab intùs ad extrà bonum est, de *Hippocratis* sententia, reuocato scilicet humore à partibus intimis, ad extimas, quod non solùm de *erysipelate*, sed de cunctis humorum motibus intelligit *Galenus*, qui foràs prodeunt, adeoque de his, qui fiunt ad cutem, quæ est vniuersi corporis emunctorium.

Itèm quia in ipsius *motibus symptomaticis*, qui morbi im-

pulsu

pulsu fiunt, lacessita, non dominante natura, non est vsquequaque tutum impedire humorum motus extrinsecos. Imò suppetunt exempla ipsius *Hippocratis*, vel adiuuantis eos, vt fecit in *Metone*, vel saltim non impedientis, quemadmodum videre licet in *Herophonte*, & alijs; multò magis in variolis, & morbillis, nam quanquam motus hi non sint necessariò critici, sunt tamen partim naturales, partim symptomatici, seù *medij*, quod in primis notabat *Trincauellius* vir doctissimus.

Sed non ne exsertissimè dixit *Hippocr.* in celebri eo *Aphorismo*, dùm morbi iudicantur, nil à nobis vel mouendum, vel nouandum? Lib. 1. Aph. 20.

Audiatur tantillum: *quæ indicantur, & iudicata sunt integrè, neque mouere, neque nouare aliquid, siuè medicamentis, siuè aliter irritando, sed sinere oportet*. Quis ergò reuocarit *variolas, morbillos*, humorem scilicet malignum, & fundatum in sanguine *menstruo* viroso (nam ab eo fiunt variolæ) qui *toxici* naturam æmulatur, iuxta *Plin. Fernel.* & alios?

Deinde, non ne plerique (nec de infimatibus) Auctores, venæ sectionem, exeuntibus variolis, cane peius, & angue odisse solent, inter quos *Hieronym. Mercurialis, Daniel Sennertus*, & alij infrà numerandi?

§. VI.

Resolutio quæstionis.

ATtamen non est ità *crudè* accipienda allata doctrina; adeoque distinguendum priùs est de *homine* morbum patiente; scilicet an sit plethoricus, & sanguine refertus, & an habeat requisita illa, ab *Hippocrate*, & *Galeno* totiès recensita, robur scilicet virium, ætatem florentem, & morbi magnitudinem, & si vis quoque, sanguinis plenitudinem,

quod anteà dixi; nam ab vtroque horum, morbi scilicet magnitudine, & plenitudine desumitur indicatio sanguinis mittendi, iuxtà *Galeni* nostri optimum documentum.

Lib. 4. Meth. Med. c. 6.

Præter hæc cogitandum, an febris adsit, qualis febris, qualis humorum feruentium intùs ebullitio, an cum *variolis*, *morbillis*, & *exanthematis*, sint copulata alia symptomata, vt delirium, vigiliæ, vrinæ turbatæ, quæ raptum humoris significant. An motus variolarum, morbillorum &c. sit *criticus*, an *symptomaticus*, an *medius*. Hæc scilicet ponderanda sunt diligenter, antequam de sanguinis missione decernatur, aut alijs magnis Remedijs, diligenter, inquam, & ad *momentum*

Sap. 11. 3

staterae, ne nobis improperent, quod de quibusdam dixit *Aristoteles*; qui *ad pauca respicientes*, *facilè pronunciant*.

Dico itaque in casu *Dom. Ioannis Andreæ*, iure optimo fuisse illi sanguinem detractum, venamque sectam, moueor.

Primo, quia morbus fuit magnus, & vehemens, & cum signis plenitudinis.

Secundo, ob ebullitionem in venis maioribus feruentis sanguinis, quod ostendebant inter cetera vrinæ subiugales.

Tertiò, ob raptum humoris ad Caput, & humoris sanguinei, qui iam præ forib. erat.

Quartò, quia motus feruentis humoris in *variolis*, non fuit criticus, sed symptomaticus, quarè cogitandum fuit de alijs Remedijs adhibendis, ad amputandum morbum feracissimum, *cuius radicem effodere compendium erat*.

Accesserunt *ætas florens*, *tempus Vernum*, quæ sanguinem poscebant *vbertim*.

His præhabitis, dico, *vltrà condignum*, multa nos habuisse *argumenta*, & indicationes mittendi sanguinis, quorum *vnum* duntaxat satis superque fuisset, ad deliberandum de sanguinis missione, & quod strictim dixi, prolixius probo.

Primò, quia in illo exitu variolarum, nec symptomata remissa fuere, nec refrixit febris vllo pacto, quod est signum

fomitem

fomitem habuisse non modicum in venis magnis, magnamq; febris paraturã, nec per metastasim, sed per epigenesim erupisse variolas.

Dico *vltrà condignum*, quia satis fuisset vna morbi magnitudo vel *præsens*, vel *imminens*, ad sanguinem fundendum. Ità Hip. 4. de acut. Ità *Galenus* lib. 4. Meth. cap. vj. *Si valens*, inquit, *sit morbus vnà cum virium robore, nemo est in artis operibus exercitatus, qui non sanguinem detrahat, exceptis à Sermone pueris*. Et lib. de sang. miss. cap. 8. & 9. sic ait. *Hæc tria sunt, quæ continent dignotionem mittendi sanguinis, morbi magnitudo aut præsens, aut imminens, ætas vigens, & robur virium*.

Secundò probatur, quia febris erat putrida. At *in omnibus febribus putridis optimum est sanguinem mittere* iuxtà *Galeni* vbique receptum documentum lib. 11. Meth. cap. 15. & *Hippocr*. in vniuersùm de cunctis morbis acutis pronunciauit, in *lib*. 4. *de acut*. Nimirùm *magna* fuit illa febris, & *vehemens*, quæ venæ sectionem necessariò postulabat.

Tertiò, quia *Synocha* fuit febris, quæ sanguinem pro basi habet, & fundamento, in qua scilicet Galenus sanguinem mittit ad *animi* vsque *deliquium*, lib. 9. Meth. med. cap. 4. & alibi, quem posteà *Paullus*, *Auicennas*, & *Aetius* imitati fuere.

Quartò, quia in *Iuuene plethorico* genita fuit febris illa, & sanguine multo referto, quod indicat sanguinis missionem, & confertim quoq; faciendam, ipso fatente *Massaria*, vt superiùs diximus. Nàm plenitudine, & sanguinis abundantia, depletio indicatur, quod itèm superiùs probatum fuit cum *Mercuriali*, lib. 5. de febr. cap. 8. Lib. de Scop. mitt. sang. p. 87.

Quintò, vrinæ subiugales, & turbatæ, magnam in venis feruentis sanguinis ebullitionem, copiamque ostendentes, adeoque *delirium* portendentes, vt ostendit Hippocrates, Lib. 4. Aph. 70. (quod ego conieci futurum esse ex *rubedine oculorum*, & vt

 præ-

prædixi, posteà euenit) sanguinem euacuandum, reuellendũ monstrabant; vt sic remoueretur humoris peccantis *raptus*, qui petebat caput, partem principem, cui *phrenesis* dirum malum imminebat.

Vide, quot nobis *capita* indicarint mittendum sanguinem esse, quæ lippis quoque, & tonsoribus patuissent. Profectò cœcutiat is oportet, qui tot indicantia non videt, habeat *peponem pro Cerebro*, & in *calcaneis* oculos.

N. B. Nàm neque *coniunctim* oportebat adesse tot indicationes: cùm *singula* earum nobis sufficere potuerint. Certè sola *morbi magnitudo* satis superque esse poterat, poterat satis esse *febris putrida*, multò magis *synocha*, poterant satis esse variolæ, homini plethorico, in cute hærescentes, & quod in minimis non pono, *indicatio* remouendi *raptum* humoris, & *anadromem* à Capite, in homine *plenitudinem* patiente, Æt. 24. *annorum*, cui *robur* virium inerat, *pulsusque magnus*, & validus non defecerat, nisi ad vitæ ferè extremum diem. Ergò si *vnicuique* ex his, supplendum sanguinis missione fuerat (vt satis probatum reor) quantò magis *omnibus iunctis*, & copulatis *circumstantijs*, id agendum fuerat! Denique, satis nobis fuerat vna *sanguinis plenitudo*, ad hanc sanguinis mittendi indicationem poscendam, (quanquam omninò caruisset febri, nàm satis erat, quòd pronus esset in febrim) in tot alijs *circumstantijs*, & *adiunctis* sanguinem poscentibus. Et ratio in promptu est, nàm si contrarijs agendum est in medicina, cum sanguinis detractio sit euacuatio, necesse est vt ipsius contrarium, sit sanguinis repletio, quod prolixè ostendit Gal. in lib. de plenitudine.

Sed fac isthæc omnia nobis defuisse, non ne satis fuerat hoc pacto depleuisse *venas*, sanguine misso, quo natura ob *copiam*, sub pondere satiscebat, vt quod reliquum ipsius superfuerat, nedùm vinceretur, sed in *cutem* posteà migraret extemplò?

Dices

Dices, hæc optimè dicta sunt, & notata, si nullus *variolarum exitus* præcessisset anteà, nàm nullus fuisset *retrocessionis* metus, aut *variolarum* remeatio ad intrà, quod mortiferum est in ægris.

Attamen hæc paruipendo. Nàm *exonerata* hoc pacto natura, & pondere degrauata suo, suum posteà integrè meliùs perficit opificium. Sic *Galenus* Magister optimus agendum suadet. *Saluberrimum est*, inquit, *in febribus venam incidere, non continentibus modo, verùm etiam alijs omnibus, quas putrescens humor concitat. Leuata namq; quæ Corpus nostrum regit natura, exonerataque eo, quo velut sarcina premitur, haud ægrè, quod reliquum est vincet. Itaque proprij muneris haud oblita*, & incœpti iàm operis, *& concoquet, quod coqui est habile, & excernet, quod potest excerni*. Alibi 2. Aphor. 29. *melius est*, ait, *circa principia euacuare, quo minorem iàm factam materiam faciliùs natura possit concoquere*, atque adeò *separare*, vltimò *expellere*.

Benè intelligo, *Galene mi*, nonnemo dicet, sed quid fecisses rogo te in *variolis*, *exanthematis exeuntibus*. Hoc est, quod quærimus in præsentia? Respondet *Gal.* fecissem, vt in *Simone* habente *latas pustulas*, cui si *ego* cum *Hippocrate* tunc temporis adfuissem, *purgassem* vtique, si oportuisset, vel *sanguinem misissem*. Imò, &ità consulo faciendum esse lib. 6. *Epid. Recole*, quæ dixi, nec timeas, vbi non oportet, si aliter agis, timor tuus vanus est, *Panicus est*. Sic *Galenus* meus.

Ego interim interrogo, si licèt *antè* eruptionem variolarum sanguinem mittere, cur quæso vos, *erumpentibus variolis*, non liceat id vtique facere? Hæc interrogatio non est mea, sed eius qui docuit me, *Stephani Castrensis Lusitani* Viri doctiss. sub quo ego à teneris vnguiculis, *Medicina Pisis* imbutus fui, in lib. de Meteor. Microcosmi. Sector itaq; Magistri Consilium, sector Praxim, nec pœnitet.

Interrogatio notanda.

Lib. 4. cap. 7.

Audia-

Audiatur tantillum. *Qui variolis apparentibus sanguinem mittere verentur, eadem quidem iure, imò maiore antè apparitionem vereri debuissent, si enim natura motum putant se per vena sectionem impedituros, multò magis curare debent, ne motus iste impediatur cum imminet, quam cum iàm sit, aut est factus*. Hæc Castrensis eò loci.

Vallef. laus. Castrensi Magistro meo, Magistrum alium adnecto, quem præ omnibus Medicis suspicio, quos posteriora secula tulerunt, *Franciscum* inquam *Vallesium* magnum Medicum, *Philosophum*, *Theologum*, & *Diuinæ scripturæ* scientissimum, cuius indicatum locum, (quanquam *Vallesium* diù noctuque lego, verso) debeo monenti *I. Horatio Gagliardo* Medico optimo, & ingeniosissimo, qui locum mihi notauit. Audiatur *Vallesius*, tanquam ex *Tripode* locutus, *optimus Magister*. *Errant quoque vulgares Medici, qui, cùm exanthemata cœperunt erumpere, à missione sanguinis suadent abstinere, & si excrementa multitudinem, aut cacochymiam indicent. Quasi verò semper excernantur decretoriè, aut quasi decretoriè, & perfectè. Quod si cum cœperunt apparere exanthemata, non euacuant, ne motum impediant, quem cepit natura, cur euacuabant paulò priùs* (hæc est interrogatio, similis ei, quam suprà fecit Castrensis) *etsi exanthemata velle erumpere multis signis cognouissent! Quasi verò minùs cauendum sit, ne impediamus motum, quem natura parat, quàm quem iàm est exorsa*. Hæc Vallesius meus, qui osores *sanguinis missionis* in exanthematis, variolis, &c. *perditissimæ sententiæ* Viros vocat, & vulgares Medicos. Ità *Fr. Valles.* in Hip. Aphor. lib. 2. 15.

§. VII.

Conuelluntur obiectiones in communi.

VVlgus Medicorum cum popello (vulgus enim non tàm plebeium, quam Chlamydatum voco cum Seneca) in va-

variolis, morbillis, exanthematis magnoperè abhorret à sanguinis missione, putatq; *impunè* occidi ægros, quandocumque *exeuntibus variolis, morbillis, peticulis* sanguinẽ fundendum iubent Medici. At isti trepidant timore, vbi non est timor. *Distinguendum*, vt anteà factum, ponderandæ omnes *circumstantiæ*, quæ, vt sic dicam, morborum *speciem* mutant.

Fateor, non esse mittendum sanguinem, quandocumque *modo critico* exeunt *variolæ*, *exanthemata* &c. quandò ab exitu, *ægri leuius se habent*, quandò *fit vera metastasis*, non *ficta*, nec per *epigenesim* erumpunt variolæ, scilicet per propagationem causæ morbificæ (de his enim intelligo Hippocratem in Epidem. cùm ait, *abscessus qui habent radices*, quemadmodum sequitur in *eo bubone*, qui *putridæ* febri copulatus est) quando deniq; mouentur, motique sunt humores ab intùs ad extrà, vno verbo, quandò variolæ, & huiusmodi exitus cutanei *benigni sunt*, & per crisim procedunt. Quandò sanguis non est mittend. in variolis &c.

At si aliter fiat, & motus sit symptomaticus (quod non rarò accidisse vidimus) bulliente in venis sanguine, febrisque tota sit *in fermento*, vt ità dicam, & *fumariola* interiùs ignescant, mittendus certè est sanguis, si reliqua concurrant, nec dehortentur. Hoc pacto intelligo *Hippocratem*, *Galenum*, aliosque *Medicinæ Proceres*. Nam hæ regulæ patiuntur suas exceptiones, & hoc modo *exceptio firmat regulam in contrarium*. Scio *quò natura vergit*, eò ducendum esse. Sed scio quoque, aliquandò naturæ motum aliorsum reuellendum, vt *Galenus* nos monuit in 1. Aphor. 21. his verbis. *Diligenter*, ait, *Medicum oportet naturæ motum, & inclinationem obseruare, quæ si ad loca commoda fiat, ei seruiendum est, & auxiliandum, si verò contrario modo, & incommodè, eam prohibere, simulque reuocare, & retrahere oportet*. Scio quid alibi dicat *Hippocrates* in Aphorism. *quæ decernuntur, & decreta sunt &c.* de quibus posteà prolixiùs dicam. Mittendus quoque sanguis non semel, si variolæ, morbilli, peticulæ di- Quandò mittendus sit sanguis.

minute

minutè exeant, nec cœptum opus perficiant, quia natura pondere grauata, ni deoneretur, non satis est operi perficiundo, atque adeò tanto oneri impar, vt concidat necesse omninò est; quæ si partem oneris deponeret, meliùs coqueret, potentiùs expelleret, suaque munia fortiùs obiret. Hoc notabat *Galenus* lib. xj. Meth. Med. cap. 15. quod rursum repeto, & 2. *Aphor.* 29. & 6. *Epid. in casu Simonis*.

At cauendum *ne quid nimis* agamus; adeoque sistendum nobis est in sanguinis moderata quadam mensura, alioqui si exorbitemus, retrocedunt variolæ, alijque naturæ molientis exitus, & à cute ad centrum transitus fit, & transmigratio. Quod non sequitur, si fiat in moderata mensura, quemadmodum à nobis factum fuit, qui *vncias vj.* dumtaxat sanguinis è brachio detraximus, in magno licet corpore, & sanguine referto.

Et sic Galenum explico, si fortè dubitat, per sanguinis missionem de humoris retrocessione, vt videre est lib. 4. de tuend. Val. cap. 10. nam Galenus intelligit de ea, quæ fit larga nimium sanguinis effusione, non de moderata, notabant id *Magatus*, *Septalius*, *Mercurialis*, & quis non de optimis Medicis? Alioqui Galen. cit. libro, cap. vj. fidenter sanguinem mittit, nihil veritus de retrocessione humoris, ab extimis ad intima. Quod certè (vt de plerisque taceam) patuit in nostro ægroto, qui à planta pedis vsque ad verticem capitis, post sanguinis missiouem, vndique *variolis* ad myriades oppletus totus fuit.

§. VIII.

Binæ obiectiones diluuntur.

HIC diluamus oportet duas obiectiones, quas de *pharetra* Hippocratis sumunt contradicentes, nimirum ex bre-

breuiculis illis sententijs, seù Aphorismis, quos per Pythium Apollinem fudit *Hippocrates*, ingeniorum Apex.

Prima desumitur ab ea sententia, qua inquit Hippocrates, *quæ indicantur, aut indicata sunt integrè, neque mouere, neque nouare, siuè medicamentis, siuè aliter irritando, sed sinere.* Hæc sententia habetur 1. *Aphor.* 20. quomodò ergò erumpentibus variolis, exanthematis &c. extra cutem, distracta est natura ab ea motione per sanguinis missionem, ob quam intùs ab extrà reuocatur motus iàm inceptus, contrà naturæ genium?

Respondeo, quia motus non fuit *criticus*, sed *symptomatis* naturam redolens, atq; adeò non curandus, quia *primis* diebus apparuerunt *variolæ*, natura potiùs lacessita, quàm se sponte mouente, & febre sæuiente interiùs: vno verbo, quia *epigenesis* facta fuit, non *metastasis*. Itaque stetimus consilio Galeni, ità consulentis, per hæc verba: *Cum vniuersa*, inquit, *benè tibi fuerint explorata, tunc euentus iàm tibi sunt considerandi, si enim dùm ægrotus iudicatur, febris soluatur, atque alijs accidentibus liberetur, & meliùs fuerit coloratus, pro ratione euacuationis cum melioribus pulsibus, & ad surgendum robustior, hæc optima crisis est: Si verò ex his aliquid desit, tantùm ab optima deficit, quanta est eius, quod deficit vis.* Hæc *Galenus* in lib. 3. de Cris. cap. 3.

Alia superest obiectio, deprompta ex *Panoplia* Hippocratis, quam ità construunt. *Quo natura vergit*, ait Hippocr. *eò ducere oportet*, & *maximè si per loca conferentia fiat*. At quid magis aptum, magis conferens, vel morbo, vel humori excipiendo, quam ipsa cutis? quomodò ergò transitum humoris ad Cutem properantis, misso sanguine, reuelles in contrarium? Sic alibi *Dictator* noster aiebat, *Reuellere, si quo non oportet, aperire*. Consonat his Vallesius, aiens, *nam si natura in partem, quampiam inclinat, & tu in aliam vocas, natura nihil proficiet, quia tu ei obsistes, neque tu, quia natura non adminiculabitur.*

Aph. 6. Epid.

D. Ve-

Verùm Aphorismus intelligi debet sano modo : nàm oportet explicare Hippocratem, si humor commodè exire potest per institutam viam, si satis exeat humor pro multitudinis ratione, si critico modo exeat, si per metastasim fiat, non per epigenesim. Imò si fors ea via non satis sit humoris toti saburræ exinaniendæ, maneatq; pars magna humoris in corpore, quæ per cutim ob crassitiem exspirare non possit, vt multoties euenit, *aperienda* sunt aliæ viæ, recludenda sunt ostia, quæ magis pateant exeunti humori; vno verbo ad *præsidia magna* veniendum, puta sanguinis missionem, & pharmaciam. Ad summam, non tàm extrà, quàm intùs medicandus est æger. Enimuerò dùm ità agimus, non tàm respicimus *causam coniunctam*, quàm causam *antecedentem*, quæ intùs manens in corpore, ad cutem non properat.

At per sanguinis missionem, per pharmaciam, quandò opus est, tollimus humorem noxium, non minori certè adiumento ægri, quam quod præstitit ei natura, mouendo ad extrà, imò longè maiori.

Non semel visæ sunt *parotides* foras prodijsse, quæ posteà intrà corpus remearunt, *saluis* quoq; *ægri rebus*; nàm ab eo recursu fiebat insignis corporis euacuatio per aluum, per vrinas, & alias patentes corporis vias. Cuius rei extat insigne exemplum apud *Riuerium* planè notandum. Hoc ipsum (vt mittam alios) vidi in Emin. *D. Cardinali Dongho* Placentiæ, qui ad mortem febricitans, post *parotidas*, quæ retrocessere in febri valdè maligna, per *vrinas* posteà confertim exeuntes, & *purgamenta* renum, euasit ab ea morbi *truculentissimi* desperatione.

Trac. de febr. pestil. Exempl. Cardin. Donghi.

Hanc medendi praxim insinuauit nobis *Hippocrates* lib. 4. Aphor. 41. Enimuerò confertim erumpente sudore, ob humoris peccantis multitudinem, quanquam per cutem exeat sudor, conuenientem Regionem, nihilominus *vacuationem moliendam* clarissimè nos docuit Hippocrates, Recole, quæso locum illum, & benè recogita.

N. B.

Certè

Certè cutis non est locus aptus pro cuiuscunque humoris euacuatione, sed duntaxat *fuliginosi*, *vaporosi*, & *subtilis*. Nequeunt enim humores multi, crasci, viscidi per tenuissimos illos cutis meatus expurgari, cum neq; per *vrinas* aliquandò possint, vt *Galenus* monuit lib. 7. Meth. cap. 13.

Imò dixit *Hippocrates*, quòd maculæ istæ, seù papulæ in malignis febribus, non sunt aptæ, ad morbum excernendum; Hinc *Thomas Minadous*, ex Consilio Patris *Ioannis Baptistæ*, rectè monuit, nō esse *his solis* fidendum, nàm nisi accedat *alia* siuè sponte facta, siuè arte elicita corporis *euacuatio*, qualis potissimum est *sanguinis missio*, vel *pharmaci* exhibitio, omnes ad vnum interire solent. Lib. 2. de feb. malig. c. 5.

§. IX.

Syllabus scriptorum, qui in apparitione Variolarum, Morbillorum, exanthematum laudant, imò vrgent venæ sectionem.

ADducam in medium varios Auctores, vt dicant sententiam, velut coacto Senatu, vt deinceps dubitare de hac re nemini liceat. Dabo hic 24. *Seniores*, & ampliùs, *primique subsellij* in Medicina viros; possem *centenos* afferre, sed abstineo, ob nimiam prolixitatem.

Porrò miscebo inuicem Auctores, qui de *papulis* agunt in febribus malignis, & qui de *variolis*, nàm qui in papulis sanguinem mittunt, multò magis facient in *variolis*; quanquam *magna pars* eorum de variolis agit, vt legenti patebit.

Primus, & *Antesignanus* omnium sit *Hippocrates*, qui in casu *Simonis*, habentis latas pustulas, non improbat corporis euacuationem, iuxtà Galeni explicationem, quod perindè est dicere, aut sanguinem mittere, aut purgare, certè *vtiles* sunt

purgationes, cum permagna humorum redundat copia: etenim nisi prius, quod redundat, aut sanguinis detractione, aut purgatione detraxeris, velis autem solum fouere, hoc est vsu calidorum fomentorum dare operam, vt per halitum digeras, certè plus illuc attrahes &c. Hæc Gal.

6. Epid. Com. 2. t. 29.

Prodeat 2. *Galenus* 3. Epid. in *Critone*, item *in Caluo* Larissæ, in alijs quoque, de quibus agit in *prol.* 3. *Epid.* qui omnes peste toxicati fuere, quidquid in contrarium dicat *Petr. Salius Diuersus*, diuersus ab alijs. An non his omnibus sanguinis missionem vtilem fuisse dicit, & necessariam factu, excusans *Hippocratem*, si fortè aliter fecerit, vel quia serò vocatus fuerit, vel ob aliud magnum impedimentum?

Tract. de febr. pestil.

Prodeat 3. *Auicennas* lib. 4. fen. 1. trac. 4. cap. 10. *Quandò*, ait, *procedunt variolæ, non oportet tunc, vt administretur Phlebotomia*, (quia scilicèt procedunt criticè, & cum ægri alleuiatione) *nisi inueniatur vehementia repletionis, & Dominium materiæ*, in quo loco videndus est *Ioann. Herculanus*.

Prodeat quarto *Aetius* 2. q. serm. 10. cap. 126. qui perindè *pustulas*, vel *vibices* in principio pestis apparentes, per sanguinis missionem curandas iubet.

5. Prodeant modo Recentiores, & grauissimi Medici, *Anton. ab Altomari* insignis Medicus Neapolitanus, & Galeni Corculum, qui totum pene exsuxit Pergamenum. Audiatur trac. de febr. pestil. cap. 9. *Si Vlcuscula*, ait, *pustulæ, seù reliquæ cutis efflorescentiæ per cutem apparuerint, perpendendum an per modum crisis appareant, an per modum symptomatis. In primo casu non est mittendus sanguis, in secundo mittendus est sanguis*. Subdit posteà hæc verba vir grauissimus. *Secabis itaque venam alijs consentientibus semper, neque enim ab eiusmodi excretionibus natura iuuabitur vnquam*. Dein suggillat imperitiam Medicorum Neapolitanorum, putantium *à venæ sectione naturæ motum, ac si esset criticus, impediri*, quamobrem

obrem *eam omninò prohibent*, & *propterea ægros veluti gladio quodam iugulant*. N. B.

6. *Blasius Astarius*, in libel. de febrib. qui adiunctus est Marci Gattinariæ Praxi Medicæ, cap. 13. vbi de papul. & exanthem. in plethora sanguinem mittit.

7. *Carolus Mariottus*, recentissimus Medicus Neapolitanus lib. 6. de febr. Sympt. Corrig. cap. 33. vbi de papul. & exanthem. in plethora sanguinem quoq; mittit.

8. *Daniel Sennertus* in papul. apparentibus phlebotomat, non in variolis, profectò nescio quo iure.

9. *Duncanus Liddelius*, natione Scotus, vir doctissimus, lib. 3. de febr. de curat. variol. & morbillor. in exitu variolarum à sanguinis missione abstinet, *nisi tanta sit sanguinis copia in venis, vt eam natura gubernare, & vitiosos humores ad cutem propellere nequeat, & propter copiam grauis sit febris &c.*

11. *Gaspar Brauo* de Sobramonte Hispanus, in Vallisoletana Academia Medicinæ *Primipilus*, nunc verò Philippi IV. Regis Hispaniarum, & Indiarum Archiater meritissimus, multis probat, & commendat venæ sectionem in apparitione variolarum, exanthemat, & doctissimè propugnat, *quandò scilicet maculis apparentibus, non subsequuntur signa victricis naturæ, sed relucent signa maximæ conturbationis, febris permanet, aut intenditur, rubrum est lotium, excretio tarda, imminet periculum vitæ, nisi deponatur causa &c.* Ità Brauo p. 4. Resol. Medic. disp. 1. Resol. xx. §. iij. secundæ edition.

11. *Gabriel Fontanus* Iacobi filius, trac. de febrib. cap. xx. ità ait, *vbi* variolæ copiosæ apparebunt, à phlebotomia abstinendum erit, propterea caueatur post tres dies, *nisi* (& hoc nota) *tanta sit plethora, vt ægrum à sanguinis abundantia opprimi aduertamus*.

12 *Gregorius Horstius*, vir doctissimus Inst. Med. disp. 18. q. 20. sanguinem mittit in febr. maligna, cùm apparitione exanthematum.

13. *Her-*

13. *Hercules Saxonia* magnæ praxis vir, & in Gymnasio Patauino Professor Primarius, lib. 8. de febr. cap. 37. apparentibus peticulis cum plenitudine, sanguinem duci iubet.

Primo, quia ob plenitudinem distenduntur vasa, vt fibræ nequeant fungi munere suo.

Secundo, quia cum venæ admodum sunt refertæ sanguine, orificia ipsarum ità adstringuntur, vt illud quod est conclusum, nequeat euacuari.

Dabat exemplum Saxonia satis *graphicè*, in diffic. vrinæ, quæ, vt docet Galenus lib. 4. de loc. aff. cap. Fit etiam ob copiam, & multitudinem vrinæ, quam nisi demas anteà, vrina non mingitur.

Hieron. Mercurial. laus. 14. *Hieronymus Mercurialis* vir vndequaq; doctissimus, in Medicis libris tum *Græcis*, tùm *Latinis*, & *Arabibus*, si quis vnquam fuit, versatissimus, omnisque litteraturæ vir, tract. de macul. pestif. cap. 10. ità ait. *Si non sit missus sanguis, & vocemini in progressu ipsius morbi apparentibus maculis, statim debetis videre an vlla adsit plenitudo, & an vires constent, si adsit plenitudo, & vires permittant, nullum Remedium præstantius est sectione venæ, & nisi per sectam venam exinaniatur plenitudo, procul dubio statim latissimè propagatur putredo &c.* Infrà verò ait, *nisi plenitudo ipsa minuatur, augebitur in infinitum putredo.*

15. *Horatius Augenius* in Gymnasio Patauino, & Taurin. Professor Primus, lib. x. de febrib. cap. 3. apparentibus *variolis* sanguinem mittit in magna plenitudine, *vt vereamur caloris natiui extinctionem*. Et num. 40. discrimen affert, cur variolæ etiam si magno numero efferantur, non soluant febrim, sudor verò soluat in febri synocha. *Ratio*, inquit, *est, quia sudor extrà corpus educitur, at variolæ continentur in superficie corporis continuitate cutis circumdatæ: continentur etiam in partibus internis omnibus &c.*

16. *Ioannes Baptista Cortesius* Bononiensis, *Bononiæ* primùm,

mum, dein *Messanæ* praxim Medicam primo loco docens, sanguinem, & ipse mittit, peticulis, variolis &c. apparentibus, in Miscell. Medicinal. Decad. 7. verba eius sunt ista. *Quæritur an apparentibus variolis sit mittendus sanguis, quem nodum soluens Auicenna lib. 4. fen. 1. tr. 4. inquit esse mittendum, si adfuerit magna copia sanguinis cum robore virium; id quod etiam dici debet de omni morbo, nam vt suprà diximus, vbi adest indicans præsens, & virtus permittens, nihilq; est quod contrà indicet, siuè appareant, siuè non papulæ, mittendus est sanguis ex vena secta &c.*

17. *Ioannes Herculanus* Veronensis, septicipitis Hydræ morborum domitor, ità scribit ad locum cit. suprà Auicennę. *Post variolarum apparitionem, siuè sit in quarta, siuè antè, non debet fieri Phlebotomia, nisi in casu in quo esset magna repletio, nàm tunc dato quòd apparuerint, est apud Auic. facienda Phlebotomia minoratiua, scilicet à iv. vnc. vsque ad vj. Nec propter hanc Phlebotomiam timendum est materiam conuerti interiùs, & crisim impediri, cum venæ in tanta repletione propter leuem Phlebotomiam non inaniantur, ità vt trahant materiam intrà: imò potiùs virtus alleuiata erit potentior ad expellendum residuum.*

18. *Ioannes Hollerius* Medicus Parisiensis magni nominis, & vir doctissimus lib. 2. de morb. intern. §. de exanthem. papul. variol. morbillis, sic ait: *In apparitione istorum, perpetuum non est abstinere Phlebotomia, cum iàm papulæ in superficie corporis extiterint. Etenim fit aliquandò præ copia vitij, vt plurimum reliquum sit in corpore, vrgeat vehementer difficultas spirandi, grauis sit febris. Quo tempore, si nihil repugnat, vena secanda est.*

19. *Iacobus Primerosius* vir cl. subscribit lib. 4. de febr. cap. 15. de variol. & morbillis.

20. *Ioannes Heurnius* vir doctissimus, apparentibus pestigijs venam tundi iubet lib. 3. de febr. cap. 19. Audite,

Si materia non fuerit aliena à sanguine, & maxima adfuerit ebullitio, vt cum adsunt pestigia rubra &c. nondum progresso morbo, vena secanda esse videtur.

21. *Ioannes Zecchius* in Bonon. Gymnasio Theoricus Primus, lect. 30. in Hip. Aphor. secat venam in variol. morbillis, petichijs, & postquam sibi aliqua obiecit, respondet ità. *Solutio est, quod in febri putrida, & pestilenti, apparentibus morbillis, variolis, papulis, & alijs huiusce generis cutaneis morbis, si corpus sanguine non abundet, nequaquam secanda est vena* &c. *Verùm si corpus multo sanguine abundet* &c. *tunc omninò secari debet vena, quandoquidem exonerata natura venæ sectione, valentiùs transmittit ad cutim* &c.

22. *Ioseph Pomius* Medic. Siculus, cap. 33. de febrib. in magna sanguinis redundantia, sanguinem mittit in apparitione exanthematum, aliter non.

23. *Lazarus Riuerius* famigeratissimus Medicus, lib. xvij. cap. 2. de febr. pestil. in variol. & morbill. etiam apparentibus, sanguinem mittit, si adhuc erumpentibus variolis *febris intensior, anxietas, difficultas spirandi, lotium crassum, & rubrum, aliaque symptomata appareant*. Vno verbo, in *ebullitione perfectiua*, seù *depuratiua*, abstinet à sectione venæ, in *ebullitione corruptiua* (vtitur distinctione Auicennæ) sanguinem mittit. Ità & nos.

24. *Ludouicus Mercatus* post variol. apparitionem, si fomes sit nouus in venis, sanguinem ducendum arbitratur, etiam si variolæ plurimæ fuerint, *existente*, ait, *efferuescentia humorum; & putredine, audacter, licet plures sint variolæ, sanguinem mittes, quo adhuc longè plures appareant*. Ità Mercatus lib. 7. de febr. pestil. & malign. cap. 3. de morbil. & variolis. *Sic Regius, & doctiss. Medicus.*

25. *Ludouicus Septalius* Mediolanensis, vir de re Medica, & Philosophica optimè meritus; lib. 5. Animad. Medic. n. 5. multa habet notatu digna. Inter cetera, sic ait. *Ego sanè*

dùm

illum operatur natura (peticulis apparentibus, aut erupteis) *à principio sum spectator; mox si segniter id agit, & plenitudo magna adsit, & feruor humorum, euacuo sanguinem secta vena, & sapè mitescit morbus, astus imminuitur, validiusq; reliquum expelli ad cutem animaduerto* &c.

Sed nullibi se magis propugnatorem ostendit *Septalius* mittendi sanguinis in apparitione exanthematum &c. quàm *lib. 5. de pest. cap. xvij.*, qui propptereà videndus.

26. *Nicolaus Bocangelinus*, *Cæs. Maiestatis* Imperatricis Medicus tract. de morb. malign. & pestil. cap. vlt. sanguinem & ipse mittit, *si necessitas suadeat, quamuis Variolæ penitùs erupissent hoc aut alio die*. Qui etiam in peticulis febris malignæ, nisi per crisim appareant, sanguinem trahi iubet, lib. cit. cap. 35. Imò si virtus sit oppressa, & lentiùs procedant, vt deponatur plenitudo, sanguinem mittendum iubet, ad illas promouendas.

27. *Nicolaus Fontanus* Gabrielis Pater Amstelodamensis, Vtriusque Bauariæ Ducis doctiss. Archiater, tract. de febrib. cap. xx. de exanthematis, sic ait, *cum Auic. sanguis extrahendus INTREPIDE, contrà mentem illorum, qui humorum retrocessum timent, quoniam hoc spreto auxilio, plerumq; æger copia suffocatur* &c. Adeoque hoc verùm est, vt etiam apparentibus exanthematis, si plethora adest, sanguis *mittendus sit*.

28. *Petrus Salius Diuersus* Medicus Fauentinus, Vir doctissimus, non est diuersus ab alijs, imò cum alijs mirè consonat; nàm tract. de febri pestil. cap. 24. de curatione exanthemat. sic ait, *Si adsit plenitudo tollenda erit sanguinis missione, nec periculum erit ex hoc retrocessionis materiæ, quæ cuti inhæsit, quoniam ista per minutionem sanguinis, non potest e cuti ad internas partes remeare*.

29. *Theodorus Angelutius*, Vir limati Ingenij, lib. 2. de nat., & curat. malignæ febr. cap. 2. postquam consultauit

E Fra-

Fracastorium, & alios, inter doctos, sic ait, *Stultum est ob id praetermittere sectionem venae, quia maculae apparent.*

30. *Thomas Grossius* Medicus Sypontinus, in Gymnasio Ferrariensi Professor primus, in suis lectionibus de febrib. §. Curatio variolar. & morbillorum, sanguinem & ipse mittit, ità namq; ait, *Si videbitur mittendus erit sanguis, vel purgandum, vt fecit Galenus in curatione pustularum, quas Simon habebat, nec timendum ne exanthemata reuocentur intùs &c.*

31. *Thomas Minadous* in Patauino Gymnasio Professor magnus, lib. 2. de febr. malig. cap. 4. distinguit de peticulis exeuntibus, vel per modum crisis, vel per modum symptomatis, si per modum crisis, nihil agendum arbitratur, quod naturæ motum interturbet, si per modum symptomatis, & in corporis *plenatura, in eo casu*, ait, *satius est per ea præsidia, quæ statim possunt molam materia diminuere, atque à visceribus exturbare, curationem aggredi*, & cap. 5. cit. libri consulit sanguinem esse mittendum, quanquam corpus non sit plethoricum, & sanguine refertum. Binos alios addo, *Anonymũ* vnum, alterũ *Valerium Martinum*, Medicum Venetũ.

Ann. 1660. 32. Igitur *Anonymus*, elegans & doctus, qui *nuper* Parisijs tract. de febre malign. edidit cum alijs in *Therap.* de febr. malign. pag. 83. sic ait: *Apage Emophobos, conspectis in cute papulis ven. sectionem superstitiosè abhorrentes &c. Idem est motus exanthematum, & ven. sectionis e centro ad circumferentiam, e corporis penetralibus in eius planitiem, tantùm abest, vt aperta Vena reflentur succi ad cutem euocati, iterque relegent &c.*

33. *Val. Martinus* Medicus Venetus diligentissimus, in lib. de febrib. *tract. de Variol. §. de sang. missione*, sic ait: *Auicennas, Gentilis eius commentator, & Herculanus fol. 133. dicunt, si corpus plethoricum fuerit, sanguis mittatur. Si autem sanguine detracto, adhuc Oculorum periculum adsit, ob relictam plenitudinem, tunc iterum per Venam Cephalicam* mit-

mittendum esse sanguinem: Et eamagis me Iudice, Oesophagi, vel gutturis, vel alterius partis imminente inflammatione &c. Deindè ait, *si patiens itaque Ætat. suæ annorum quatuordecim fuerit, Vena Basilica dextri cubiti aperiatur, etiam si posteà Variolæ, superuenirent, vt Illustrissimo Dom. Augustino Nani D. meo Colendissimo, Anno 1626. contigit, eius salute* &c.

En *quot*, *& quos Consiliarios* tibi attuli, quot, & quos *magnos* in Medicinæ viros! Cùm his errare certè malim, quam cum *paucis* quibusdam, quanquam alioqui sapientibus Viris, quibus facem prætulit *H. Fracastorius*, cetera *oculatus*, in hoc puto *tenebricosus*. Possem hic afferre pro nostra sententia quosdam alios, sed abstineo de industria, facturus, si oportuerit. Vnum hic tantùm addo, *Bottallum* insignem Medicum, *lib. de sang. miss. cap.* 5. in ea fuisse sententia, vt putarit sanguinem mitti posse, quanquam *critice* exeant papulæ, & exanthemata. Verùm non sequor docti hominis consilium, nec vt sequaris consulo. Multò minus sequor consilium Medicorum Patauinorum, qui referente *Oddo de Oddis* Patauino, & Patauij celeberrimo Professore, *peticulis* apparentibus, & *exanthematis*, *frigida* statim adhibent, & *repellentia*. Consilio certè vtique pœnitendo, & Respublicæ exitiabili.

N. B.

Lib. 4. de pestif. affect. cap. 15.

§. X.

Exemplo Medicorum Parisiensium, asserta praxis probatur.

NON diù est, quòd Parisienses Medici, Viri doctissimi, praxim istam *tot Medicorum* suffragijs assertam, *verbo, & exemplo* confirmarunt. Et cui putas praxim istam adhibitam fuisse?

An homini de triuio? Adhibuerunt in *splendida Persona*,

 quid

quid inquam *splendida*! in Regia, *Ludouico*, inquam, *XIV.* *Christianissimo*, & *inuictissimo* Galliarum Rege, qui magnis febribus detinebatur in Adolescentia, cum variolis. Huic *Magno Regi*, inter alia Remedia, *secta vena* fuit non *semel*, sed *sæpè*, variolis quoque *apparentibus*, quod *testimonio* quoque suo confirmauit *Dom. Butti*, à Secret. Emin. *Card. Antonij Barberini*, vt testatus mihi nuper est cl. *Ioan. Baptista Solerius*, Medicus præstantiss. Nec de retrocessu, & recursu variolarum, quidquam timuere *Archiatri Regij*, sed in *febrim*, quæ intùs feruebat, collimantes, vni causæ amputandæ prudenter institerе, vt sic leuata natura, reliquum ad cutem, feliciùs expelleret. Annuitque Deus *rectè* institutæ curationi, votisque bonorum, & *Regem* periclitantem, sanum, & incolumem restituit orbi.

Parisiensium Medicorum Praxis in Rege adhibita, confirmatur.

HAnc praxim in Rege adhibitam; confirmauit, suoque suffragio asseruit Dom. *Bursierius Protophysicus Taurinensis*, in Epist. seù consilio Anni 1654. die 1. Ianuarij, quam habui nuper à cl. *Thoma Oliuerio Medico*.

Audiatur. *Soleo ego etiam in medio variolarum, & in morbi vigore, dubitans de suffocatione, vel inflammatione, sanguinem mittere felici cum successu, vt factum quoque fuit Regi Galliarum modò Regnanti, in statu suarum variolarum.* Sic ipse in Epist. scripta *Italicè*, quam ego *Latinè* bona fide refero.



§. XI.

§. XI.

Impossibilis est secundum aliquos retrocessio variolarum, & exanthematum.

SED *frustrà* videor laborasse in *tot* colligendis *Auctoribus*, in exemplis corruspandis. Satis erat dicere, neutiquam retrocedere posse *variolas*, exanthemata per sanguinis missionem, aut purgationem. Ità *Gal.* putat 6. Epid. Com. 29. & ità explicant eum *Mercurialis*, *Franciscus Valleriola*, *in enar.* videturq; insinuare *Petr. Salius diuersus*, de febr. pestil. cap. 24. *Alex. Massar.* in pract. cap. de Ictero, *Ioan. Baptist. Syluatic.* Contr. 41. *Gaspar Brauo* p. 4. Resol. 20. disp. 1. §. iij. & alij, quorum omnium vice, Audiendus *Mercurial.* tract. de mac. pestif. cap. 10. N. B.

Nec dicatis, inquit, *ea quæ sunt in cute intrò deflecti per sectionem venæ, quia hoc absurdissimum est. Dicebat enim Gal. 6. Epid. Com. 2. t. 29. neutiquam fieri posse, ut per sanguinis missionem ea quæ sunt in cute, indè deflectantur; imò verò secta Vena cùm natura onere leuetur, robustior fit ad expellendum totam materiam pestiferam*. Hæc Mercurialis. Si ità est, iàm finem habet quæstio, nec oportet ampliùs disputare.

Attamen nolo his dictis acquiescere, frustrà *Galenus* affertur, quandoquidem alibi *Gal.* lib. 4. de tuend. Val. cap. 10. docuit materiam retrocedere posse, vel impulsam, vel attractam, vel transmissam. Quin ipse *Gal.* lib. 3. de nat. fac. cap. 13. perindè docuit, quanquam humor ad vltimam cutis superficiem deuenerit, adhuc posse retrocedere, & ad epar transire, per easdem venas, per quas ad cutem meauit anteà. An non *Hippocr.* lib. 6. Aphor. 25. malum dixit, quod *Erysipelas* cutis morbus, ad interna recurreret, quod possibile censet Hippocrates, & frequenter solet accidere? Idem docuit *Aet.* 3. Tetrab.

Serm. 2. cap. 18. ostenduntque id ipsum repellentia in principio fluxionum, & apostematum admota, quorum vi humores intrò pelluntur.

Sed fac, quod asserunt, verum esse, adhuc dubitare licet, non de peticulis cuti affixis, sed de *humore illo*, qui peticulas facit, & qui nondum in cutem missus est. Quare satis superq; est, retinere *eam*, quam antea secuimus *doctrinam*, & distinguere *inter lepram*, & *lepram*.

§. XII.

Recensentur qui negant mittendum sanguinem in variolis morbillis &c. & explicantur.

NON probo primum eos, qui negant *maculas* per cutem erumpentes, esse signum *pathognomonicum* febrium malignarum. Hi sunt *Petr. Paul. Pereda* lib. 2. in Paschal. de cur. morbor. in Schol. cap. 2. & *Ioan. Colle* lib. 1. de morbis contagiosis, & malign. cap. 7. Fateor hoc aliquando sequi posse, vt citrà febrim erumpant maculæ istæ, quod ego in *peste hac* nupera vidi, in puero, qui per totum corpus maculis nigris scatebat vndique, magno numero, & euasit; & in altero puero non ità pridem, filio *Caroli*, qui à famulis erat Illustriss. *D. Augustini Spinulæ q. Excellentiss. Felicis*, qui maculis latis, nigris, & violaceis refertus fuit, citrà febrim vllam, nisi quod *obstructiones* multas in visceribus patiebatur, cum *destillatione*; succurritque modò exemplum quod affert *Ioan. Baptista Cortesius*, qui *Messanæ* vidit in Dom. *D. Antonia la Rocca* myriades harum macularum, nedum in cute, sed in *mamma* cancro vlcerata, in *labijs*, intrà *os*, in *lingua*, & in *palato*, quanquam nulla eam febris detineret. Ità refert *Cortes.* Decad. 7. *Miscel. Medic.* prælect. *Messanens.* pag. 438.

N. B. Nec item probo eiusdem *Ioan. Baptistæ Cortesij* doctrinam,

in

in suis *Miscell.* cit. putantis *papulas*, & huiusmodi *cutis* efflorescentias, nec per *crisim*, nec per *symptoma* moueri; probo tamen cum ipso, huiusmodi cutaneos exitus, minùs esse idoneos, ad febres iudicandas, quod ipse allato *Hippocratis* loco ostendit, sentiuntque vterque *Minadous*, pater & filius.

At quandoque solui posse, non negarim, præsertim si appareant *peticulæ* post signa coctionis, & materia constent crassiori; apparetque id in *Variolis* frequenter, & *morbillis*, quibus affatim exeuntibus, soluuntur febres, & morbi disparent.

Sed ad propositam *epigraphem* veniamus, de multis, quos vidi *scriptoribus*, pauci sunt, qui sanguinis missionem repudient in *Variolis*, *morbillis*, *exanthematis*, dùm *plenitudo* adest, quanquam cuti inhæreant. De *paucis* sunt,

Hieronym. Mercurialis lib. 1. de morb. pueror. cap. 2. quanquam hic dubius videtur.

Benardus Gordonius de febr. cap. 12. in suo Lilio.

Valescus de Taranta lib. 7. de Variol. & Morbil. cap. XV. in Philonio.

Zoroaster Tinellus in Consult. Medic. tom. 1. Consult. 34.

Daniel Sennertus lib. 4. de febr. cap. 12.

Hieronym. Montuus Regis Galliarum Medicus, & *Mirebelli Dominus*, & si qui fortè sunt alij, quos non vidi. Lib. 7. de febr. p. 2. c. 2.

At hi explicandi sunt, quandò *Variolæ*, *morbilli* &c. procedunt *criticè*, & morbum compescunt, tunc enim verum est illud, *quò natura vergit*, *eò ducere oportet*, vt superiùs explicatum, & aliud in Aphorismis, *quæ decernuntur*, *&* *decreta sunt integrè* &c.

Sed nescio quomodo *consonè* loquitur suis dictis *Zoroaster Tinellus*, item & *Sennertus*, quorum alter in ea febri maligna, quæ *purpura* dicitur, sanguinem mittit, alter verò in febribus malignis, & *maculis apparentibus*, perindè sanguinem trahit. Ità dico de alijs quibusdam, qui perindè in- Loc. cit. Loc. cit. de febr. cap. 13.

peticulis mittunt sanguinem, non mittunt in *Variolis*; velim *discrimen* mihi afferrent, vt possim deinceps *reprobare ma-*
Isai.7.15 *lum*, & *eligere bonum*; quanquam negotium non facessit vllum, quòd aliqui in *Variolis* non meminerint venæ sectionis, nàm *ab argumento negatiuo*, non elicitur *valida* probatio. Sed hæc satis sunto.

§. XIII.

Probatur sanguinis missio in malignis febribus, & obiectiones diluuntur.

PLuries dictum fuit, in malignis febribus, sanguinem detrahi iure posse, *peticulis quoque* & exanthematis apparentibus. Hæc *Thesis* occasionem dedit aliquibus, suggillandi hanc doctrinam, vt suspectam, & hanc praxim, vt noxiam. Contrà quam obijciunt, in hunc modum. Humores *maligni*, & *Veneni* naturam sapientes, debent omni ingenio foràs euocari, ergò sanguis mittendus non est, *quo* scilicet *intùs* reuocantur humores, *ab extimis ad intima*, & in partes principes truduntur, sic obijciunt hi.

Respondeo humores in febrium harum *initio*, non statim in *naturam* veneni facessere (quo tempore celebrant sanguinis missionem) alioqui actum esset de ægroto, de vita, & viribus ægri; nam *Vinum* dum acescere incipit, non statim fit *acetum*, sed temporis progressu acet. nec aliter de humoribus
1.Aphor 17. philosophatur *Galenus* in Aphorismis. Sed detur transisse in *Veneni naturam*, an propterea omittenda est *sanguinis missio*? Nonne *Auic.* & cum eo *Arabes* venam tundunt, *distributo* iàm, & *propagato* per corpus *Veneno*? sic faciunt.

Ceterum *vanum* est quod dicunt, ex missione sanguinis moueri humores ab extimis ad intima, à circumferentia ad centrum. Id fit, quandò *larga*, & *copiosa* fit sanguinis missio,

vt supra

vt suprà notatum. Vanum quoque est, *sanguinis dimittere missionem*, ne *Venenum* intrò rapiatur, & in viscera transeat. Quarè, aiunt, nemo est è probis Medicis, qui sumpto veneno, sanguinem ducendum consulat, malum enim agitatum interimit, quietum, saltim minùs lædit. Hinc venit *paroemia* illa, *malum benè positum, ne moueto*; vanum, inquam, id est, cum nulla sit similitudo inter venenum propinatum, & venenum genitum. Et ratio est, nàm dùm in *Ventriculo*, & *Mesenterio* extat venenum, quod de foris aduenit, debet statim euacuari, vel *vomitu*, vel *purgatione*, ne posteà serpendo, cor inficiat, morteque hominem afficiat: at venæ sectione, non potest, nec fieri debet, quia sanguis *bonus* in venis existens foràs prodijt; at cum venæ inaniuntur, necesse est, vt venenum *pro sanguine* sugant, sibique attrahant à *Ventriculo*, & *Mesenterio*. Hinc *Dioscorid.* lib. 7. in cur. veneni, nihil meminit de venæ sectione facienda; nil itèm illius meminit *Aet.* lib. 13. cap. 48. nil *Paull.* de ea, lib. 5. cap. 28. N. B.

At venenum febrium magglignarum, & pestilentium, non est in primis corporis locis, sed in *Venis* nidulatur cum ipso sanguine; propterea, dùm sanguis mittitur, nòn tàm sanguis è venis prosilit, quàm venenosus simul, & toxicatus humor. Ideoq; *Paul. ab Aegina* rectè monuit, sanguinem mittendum esse, cùm venenum in *Venis* moratur.

Alij obijciunt, missionem sanguinis in peste, & pestiferis affectibus, esse exitiabilem, & contendit inter alios *Petr. Salius Diuersus*, tract. de febr. pestil. pag. 12. testaturq; *Illustriss. Paul. Aresius* Episc. Derthon. in ea *Pestilentia*, quæ postremò *Mediolanum* inuasit, omnes perijsse, quibus secta vena fuerat. Non derrogo fidem dicentibus, præcipuè Magno Viro *Aresio*, & Sanctimoniæ eximiæ, quem audio à Deo signis quoque illustrari, & gaudeo; nàm ipse me *Amicum* aliquandò Amicè vocat, *cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamenti*.

Lib. 6. Symbol. Symbol. 165.

Velit. in Apocal. de Antichr. excurs. 16.

menti. Attamen non ideò improbanda *Remedia*, si aliquandò non iuuant, aut si vi morbi, & sæuitia superantur; *Quia tot sunt pestis facies, vt quod semel profuit, in alia non prosit, quod vni, alteri non*; vt optimè dixit M. Vir *Saxonia*; cùm è contrà testes habeamus Medicos peritissimos, qui de profectu in peste, & pestiferis affectibus, per sanguinis missionẽ, testentur. Inter alios *Ludouic. Septalius* Vir magni nomin. de peste Mediolanensi agens, ait plures, per sanguinis missionem, adiutos summoperè fuisse. Possem pluribus, sed abstineo. Tantùm hic exhibeo *Galeni* nostri, magnum, & præclarum documentum, quod stylo Adamantino Cordi, inscribi vellem. *Qui sanguinis*, ait, *missionem neglexere, spurcissima putredine, & venenosa, quæ nullis vnquam Remedijs cedere voluit, miserè perierunt, quoniam vniuersum corpus veneni Contagio conspurcatum fuit*. Hoc maneat tibi monitum, *alta mente repostum*.

Lib.8. de febr. cap. 37.

Lib. v. de peste.

Lib. 11. Meth. cap. 5.

§. XIV.

An sudorifera conueniant in febrium Malignarum principio.

QVandò iam obiter disputatum est de sanguinis missione peragenda in *maligna febri*, quid prohibet quin disputem modo, de aliquo ad *pharmaciam* pertinente? Fœdere quodammodo copulantur ista, & connubio, quarè disputabo, si placet, de *sudoriferis* exhibendis in febri maligna, an scilicet exhiberi possint, in eius principio, ad frangendam secuturam febrim, & *effodiendam* eius radicem, Compendiaria quadam curatione.

Ansam disputandi dedit, *Germanorum Medicorum* mos, ità medentium, quod testantur *Dan. Sennertus* lib. 2. de febr. cap. 8.

cap. 8. Et *Ioseph Cretensis* infrà citand. apud *Greg. Horstium*, qui de more *Germanorum* loquens, sic ait: *Statim in morbi principio, existente humorum crassitie, & cruditate, exhibent potiones sudorificas, & sanè cum manifesto iuuamine, & alleuiatione ægrotantium.*

Sed magis ansam dedit de re ista disputandi, quia *sudorificum* quoddam propositum fuit à Sp. *Ioan. Augustino Peri*, qui excubias agebat Illustriss. *Octauio Sauli*, febri maligna laboranti, ex qua postea obijt; constabatq; sudoriferum ex *Antim. Sal. Prunel.* & *Cornu Cerui*, miraque de sudorifico isto promittebat, vtpotè probato frequenti vsu, & ingenti vtilitate in *Mancipijs triremium* Sereniss. Reip. Genuensis, quibus ipse Medicinam non ità pridem facit.

Sed quod plurimum referebat, de huius *sudorifici* potestate, & vtilitate magna, anteà audieram ab Excellentiss., & Sapientissimo Domino *Hugo Flisco*, modò *Sereniss. Reip. Procuratore*, qui Magistratum triremium, cum alijs Viris Nobilibus, paulò anteà administrabat. Accessit posteà Testimonium *Francisci Alezeri* earundem Triremium Chirurgi, qui mihi, alijsque Nobilissimis Viris testatus fuit, *prædictum sudorificum* iàm diù, à 30. *scilicet annis* in Triremibus adhibitum fuisse, & etiamnum adhiberi, seque primùm *Medicamentum* in Triremes inuexisse, vsurpasse, magno vtiq; emolumento ægrotantium, vt non sit adeò recens inuentum, sicut anteà credebam. Vtcumque tamen sit. N. B.

Quæritur hic, an possint vsurpari *sudorifica* in *principio* febrium malignarum.

Respondeo, si standum est *Hippocrati, Galeno, & Pragmaticis*, non possunt vsurpari sudorifica in *principio* morbi, nisi anteà purgato corpore, & expiato vndique, vno verbo, antè humoris *coctionem*; nec quisquam de *Pragmaticis* aliter facere didicit. Exhibitis namque *calidis*, & rarefacientibus,

qualia sunt *sudorifica, vrinam cientia*, augentur febres, incalescunt corpora, impinguntur humores rarefacti in partibus affectis. Vno verbo, non licet cum *Hippocrate*, nisi *concocta* medicari, atque mouere, *cruda* non oportet, neque *in principijs* &c.

Lib. 1. Aph. 22.

N: B:

Nihilominus *Dan. Sennert.* cit. de febrib., & *Ioseph Cretensis* cit. apud *Horstium*, in malign. febrium *principio sudorifica* non improbant. Nec ego improbo consilium, & probo à priori. Quia humor *virosus*, & malignus quicumque is sit, *coctioni* ferendæ non est aptus, ideoque frustrà tempus terimus in præparando, & coquendo humore, qui coctionem non recipit. debet ergò *illicò* expelli. Ità *Capiuaceus*, nulla adhibita præparatione, humores purganti valido statim eijcit, quamuis suopte ingenio *sint crassi*. Nimirùm, quia maligni sunt, & *virosi*.

Lib. 6. de febr. cap. vlt.

Addo ego aliquid ampliùs, scilicet *malignas* febres fundatas esse in *ichoribus*, vt *Mercurialis*, & alij adnotarunt, qui propterea non admittunt coctionem; neque possunt, est enim ichor *incoctilis* Aristoteli; adeoq; statim purgari debent.

In Met. 1

Hinc est, (quod obiter dico) quòd *vesicantia* in his febribus maximè conueniunt, vtpotè quæ plurimum *seri* attrahunt, qui redundat in eis; nec solum conueniunt vesicantia in prædictis febribus, sed in *principio*, quandò opus est, adhibenda quoque sunt, non *tàm adulto* morbo. Ideoque perperam faciebant Medici nostri, nec ità diù, qui *vesicantia* nonnisi *morbo adulto*, & *ægro collabente*, administrabant, nulla ferè vnquam vtilitate.

Vesicantia non ità diù cęperũt frequentiùs Genuæ adhiberi, & maturiùs.

In qua re, si aliquid *veritati* indulgendum, est cur mihi grates referant, & habeant in posterum ægri, ob vsurpatum hoc Remedium, & temporiùs adhibitum, contrà quam fiebat aliàs. Nàm postquam ego in magnum Nosochomium adscitus fui inter Medicos, Anno illo ferali 1649. ob tot funera

funesto, cœpta sunt adhiberi *vesicantia*, & magno numero, & maturiùs, vt ideò *reclamarent* socij *Medici*, *Chirurgi*, & *Pharmacopolæ*, non assueti neque visendis, neque adhibendis tot vesicantibus; qui tamen experientia posteà docti, quæ est rerum Magistra, ab eo tempore, & maturiùs, & frequentiùs, tùm in Nosochomio, tùm extrà in Ciuitate, vsurparunt vesicantia, & in dies felicissimè vsurpant.

Probo à posteriori, scilicet ab *experientiæ libro*, vt loquitur *Blesensis*, nam plures visi sunt, & magno numero, sumptis ità sudorificis, conualuisse. Testantur id *Sennert.* lib. cit. de febrib. & *Ioseph Cretensis*, loc. item cit. testantur citati triremium *Medicus*, & *Cheirurgus*, & quem præ omnibus facio Excellentiss. Domin. *Hugo Fliscus*, Vir suprà famam eximius. Et ratio experientiæ est, quia *fermentum* illud, seù *miasma*, quod corrumpit humores, à principio facilè solui potest, si statim tollatur, alioqui *crescit eundo*, enimuerò *modicum fermentum totam massam corrumpit*, quod ait *Apostolus*. 1. Cor. 5. 6.

Huc etiam facit, quòd cum *ichoris* plurimum sit in sanguine, & in minimis quoque venis, & putrescente humore, augeatur, ratio dictat, tollendum esse *ichorem* istum, qui ad aquam pertinet, quod per *sudorifica* fit, & ea quæ sudorem proliciunt.

His tandem accedit *vrgentia*, quæ plerumque datur in malignis febribus, ob virus & *toxicum* quod habent: quanti autem referat *vrgentia* in morbis curandis, pluries inculcat *Galen.* ad quam potissimum dirigendus est medentis *oculus*; quam vrgentiam, si expendisset *Thomas Minadous*, non improbasset certè *sudorifica* in his febribus, in quibus rerum potitur *venenata qualitas*; sed ipse, nescio quomodo oblitus *vrgentiæ* solius, reliqua quæ minùs ad rem faciunt, expendit; & si enim *sudorifera* non conueniant, neque *ratione febris*, *putredinis*, *obstructionum*, *redundantiæ humorum*, &

De Diaphor. calidor. in febribus malign. vsu, & lib. 2. de febr. malign. c. 16 17. 18.

& *cruditatis*, vt ipse prolixè probat, & nos vltrò concedimus; conueniunt tamen *ob vrgentiam*, quam parit malignitas humoris, pariunt symptomata, & quia febres istæ *serum* pro basi obtinent. Cum igitur *vrgentia* reliquas superet indicationes, *sudorificis* agi potest in principio harum febrium.

N. B. Nota tamen, non esse *promiscuè* in omnibus vsurpanda febribus, nec in magna humorum copia, aut cum iàm inualuit per corpus putredo, alioqui vix sudorifica aliquid proficiunt, ait *Sennertus*, imò addo ego, maximo sunt nocumento; nisi fortè placeat cum *Rulando* in centurijs,
Loc. cit. fortioribus vti sudoriferis, & multoties repetitis, quod quanquam *Sennerto* non displicet, non mihi planè arridet: nàm *moderatis* agendum est sudorificis, & his quæ habent vim *Alexipharmacam*. Vide ampliùs *Sennertum* lib. 2. de febr. cap. 8. & lib. 4. cap. 11. & lib. 5. Inst. Med. cap. 14. part. 2. sect. 1. *Ioseph Cretens.* apud *Gregor. Horstium* lib. 1. de
N. B. febr. pag. 51. edit. Norimberg. qui benè monet, *solis sudoriferis* non esse fidendum, sed alijs quoque vtendum esse medicamentis; adeoque *præparandos* esse humores, *purgandos*, sed præcipuè *sanguinem mittendum*; nec aliter fieri à *Germanis Medicis* refert ibi *Cretensis*, insinuatque *Sennertus*.

§. XV.

Quæ Præsagia facta sint in Dom. Andrea.

VOlo hic dicere aliquid de *Præsagijs* Medicis, simulque ostendere *Præsagia* Medicorum, nec *Vatis* esse effata, nec culpanda esse, si fortè in scopum non colliment; obiterque agitur de multis ad rem medicam pertinentibus. Sed ad rem, & incœptam spartam.

Visa

Visa morbi Idea, notatis symptomatis, & corporis *paratura* in *Iuuene plethorico*, cum aliqua cacochymia, cui frequens opipari cibi vsus, præsagiuimus ambo, morbum istum esse periculi plenum, quem statim symptomata comitata fuere, *vigiliæ* scilicet, *inquietudo*, *vrinæ turbata*, & quod consequens fit, *delirium*. Ideoq; iudicauimus febrim istam esse *essentialem*, *acutam*, & *mali moris*, nec per *metastasim* erupisse *variolas*, sed per *epigenesim*, & morbi propagationem, corpusque ideò inardescere absque eo, *quod intrinsecùs latet*. Hæc est indoles morborum acutorum, quod *celeriter* iudicantur, & quòd statim *magnitudinem* habent, vt Pergamenus docet 2. *Aphoris.* 19., & quod indè sequitur, *periculum* quoq; portendunt. Itaque febris illa *magna* fuit ex triplici capite, *symptomatum magnitudine*, *partis affectæ præstantia*, & *malignitate*, seù cacochymia. His enim *tribus* de morbi magnitudine pronunciamus, vt ex *Gal.* docti sumus lib. 4. Met. Med. cap. 6. Lib. 4. Aph. 70.

Dùm cacochymiam dico, non intelligo ad summum putredinis deuenisse febrim, aut *occulti* aliquid in ea latuisse, adeoque fuisse propriè, & *formalitèr* malignam, vt ad ritum Scholarum loquar. Intelligo *malignam* fuisse febrim ratione *symptomatum superuenientium*, quæ febrim malignam, & faciunt, & denominant, quanquam latiori quodam modo, de qua re *Gal.* egit lib. pri. de Crisibus cap. 3., & lib. 3. cap. 4.

Cùm his *motus* quoque febris celer fuit, adeoq; necessariò *de acutis* fuit, quorum proprium est, vt *Archigenes* docuit, recepitque *Gal.* *celeris* motus esse, & cum *periculo*. Spectanda quoque fuit morbi *paratura*, quæ morbo materiam præstat.

Obsessæ partis præstantia poterat esse *Cerebrum*, tàm pronum in vigilias, cum significatione imminentis delirij, quod

quod ego conieci futurum, ex *rubore* oculorum, nec fefellit euentus, poterant esse *magna vasa* inter alas, & inguina sita, quæ sanguinem valdè putridum continebant, adeoque prædicendum fuit in principio, febrim esse periculi plenam, & *morti finitimam*.

§. XVI.

Quàm difficile sit præsagire in morbis.

NON tamen *spes nostræ* omninò periere; nàm cum his omnibus alioqui verendis signis, pulsus semper consistere, ad extremam fermè vsque vitæ periodum, quod aliquam probabilitatis spem de ipsius vita aliquandò nobis dedit. *Salus* enim & *mors*, ex collatione virium cum morbo, & symptomatis petenda sunt, quod *Galenus* nos monuit exempl. *Athletarum* inuicem pugnantium; & quanquam morbi maligni sint, tamen *neque omninò spem salutis adimunt*, quod Gal. innuit 1. *Prorrhet.* 14. deferbuit quoq; aliquandò febris, symptomata remisissere, vt minùs mali, & periculi à nobis conijci posset; hac tamen *clausula* prudenter addita (quod facere sæpè soleo) non esse fidendum adhùc de morbi victoria, cùm nulla appareret *coctio*, citrà quam *nulla*, aut *fides dubia*, sed incerta sunt omnia; dedique exempl. *Hermocratis* Iuuenis Græci, qui quanquam 14. die exemptus à febri esset, ità iudicante *Hippocrate*, qui curationi eius præerat, nihilominùs 26. ægritudinis eius die, obijt, scilicet quia non præcesserat coctio, sine qua *non oportet fidere his, quæ præter rationem eueniunt*.

2. Progn. t. 6.

Et quanquam *Variolæ coctionis* notas præseferrent, & consertim per totum corpus erupissent, corpus tamen intùs, & in recessibus magnam humoris *molem* continebat, quæ nul-

la, aut quam minima coctione domita hucusque fuerat, nec mirum. Non enim repugnat in aliqua parte fieri *coctionem*, quæ non vbique in corpore constet, exemplo *Crastionactæ*, & *Ancillæ pictoris* ap. *Hippocr.* 1. Epid. Com. 2. Nàm post *parotidas* suppuratas, *mors* obuenit, quanquam hoc inter *rara* ponendum esse, censeat ibid. *Galenus*, quia à *coctione*, *secura sanitas* meritò exspectanda, & quia vt optimè obseruat doctissim. Thom. à Veiga, *consensus partium mutuus, & omnium intrò extraq; commeatus prohibet, ne talia crebrò eueniant.* N. B. Ad lib. 5. loc. aff. sect. 2.

§. XVII.

Agitur de eod. argumento, & D. Thomæ *locus egregius, pro Medicis Præsagijs affertur.*

ARguunt nos quoq; de *inconstantia* præsagiorum, quasi *vertumni* ad instar consilium quandoque mutarimus, & præsagium, nàm aliquandò de *ægroto* meliora nobis sperare licuit. Si ità præsagitur, aiunt, *Tiresias* ille, vates bonus erit, quia *alterutrum* futurum certò affirmabat, inquiens, *quidquid dicam, erit aut non erit*. At nos non ità fecimus, stetit immotum præsagium, nec mutauimus sententiam. Boet. 5. de cõsol. præs. 3.

Meliora, fateor, aliquandò visa sunt nobis in nostro ægroto, pacata fuere quandoque symptomata, *rudimenta* quædam coctionis in vrinis notata, non imminuta pulsuum constantia, vt indè de ipso perindè *meliora* sperare nobis liceret; & ità aliquandò licuit.

Sed quàm *cautè* dictum est, adhùc subesse *periculi* multum, nec certi quidquam statui de eo posse? quoties diximus ægrotantem nostrum, nondum extrà *periculi aleam* constitutum, quia nulla fida *coctionis* signa adhùc nobis

præluxerant! Quoties *Hermocratis* casus expensus, & memoratus, qui in meliùs progressus, in febris quoque carentiam, vitam tamen cum morte commutauit, ipsomet assidente *Hippocrate*! Non licet omnia præsagire, quæ vi morbi eueniunt, multò minùs, quæ *deforis* nobis veniunt, quandiù humor maleficus *irrequietus* est, quandiù *turget*, quandiù *incoctus est*. Quoties iàm domiti videntur morbi, qui tamen per recursum humorum (*palindromem* Græci dicunt) necem afferunt repentinam?

E contra fuere, qui *morti finitimi*, præter spem euasere. Talis *Erophontis* casus, qui ob solum descensum humoris, de Orco sublatus est, *Tanti scilicet erat*, inquit Galenus, *decessisse quæ molesta erant ad partes imas*. Hoc non raro vidisse ego memini, viderunt alij, præsertim *Leonardus Iacchinus* Vir doctissimus. Certè visi sunt aliqui citrà *coctionis notam* euasisse. Sic *Meton* 1. ep. 3. sic *adolescens*, de quo agit Gal. in libr. de præcogn. sic *Anaxion*, qui die 20. leuatus ex *Crisi*, citrà notas coctionis. Hùc refero *Virg. in Larißa*, quæ *sexta* die iudicata est, nam *monstra* sequuntur, quandoque in Medicina, quanquam hæc non ità raro contingunt in arte.

31. Côt. Notandum est hic exempl. *Rhasis*, narrantis de quodam ægroto, qui cùm bellè se haberet in omnibus, nec vlla appareret in *facultatibus* noxa, præterquam in brachio, in motione languido, & quidem pridiè tantùm quàm obiret, *improuisò* tamen decessit, nihil minùs cogitante *Rhasio*, qui curam gerebat ægroti.

Ceterum si quoties Hippocrates in suis Epidemijs, *meliora* de suis *ægris* narrat (quorum tamen plerique obiere) culpandus ideò esset, actum de *Hippocrate* esset. Imò quandoque dixit *Hippocr.* immunes à febri visos, vt de *Hermocrate* narrat, & de *Philisco*, qui tamen ambo obiere!

Fa-

Faciebat id *Hippocr.* facta collatione *unius diei cum altero, symptomatis cum symptomate*, nec *indicium* tunc *peremptorium* proferebat. An ideò culpandus *Hippocrates* fuit, culpandus *Rhasius*, quasi Medicinæ ignari essent? Apage *Iudices* istos insanos, & *Rhadamantos*.

Prouoco vos ad *D. Thomæ* Scholam Doct. Angelici, cuius sententiæ quin stare vos debeatis, nullus dubito. Audite quæso boni Viri, quid de præsagijs sapientum Medicorum (de sciolis nullus Thomæ Sermo) decernat Sapientiss. Doctor, *Theologorum & Philosophorum Alpha*, & in posterum silete. Vos interim *Medici* gratias mihi refertote, si locum *D. Thomæ*, fortè vobis adhuc ignotum, pro vobis nunc ostendo. Egregius D. Thomæ locus, in fauorem Medicorum.

Audiatur. *Aliquid potest dici esse futurum non solùm ex hoc quod ità erit, sed quia ità ordinatum est in suis causis, ut sic fiat futurum, sic enim Medicus dicit, iste sanabitur, iste morietur, & si aliter contingat, non falsum dixit, sic enim futurum erat ex ordinatione causarum, quod tamen possibile est impediri, & tunc quod prius futurum fuerat, consequenter non erit futurum.* Ità docet *D. Thomas* Doctor Angelicus 2. 2. *q.* 174. *a.* 1. *ad* 1.

Audiant, & resipiscant.

§. XVIII.

Aliquot errores Hippocr. & Galeni, & aliorum ponderantur.

SED fac nos errauisse, hallucinatos esse in *præsagiendo*, addo, si ità vis, in *medendo*? quid tùm? errarunt *Hippocrates & Galenus*, ne dum in *futuris* dignoscendis, sed in *præsentibus* quoque morbis distinguendis, rursum

adde, *in medendis*. Nescijt in se ipso *Galenus* distinguere *colicum* à *nephritico* dolore, putans se dolere *nephritico*, cum *colico* laboraret, quod ipse *Galenus* ingenuè confitetur *lib. 2. de loc. aff.* quo in loco *Thomas à Veiga* sapienter scripsit, *Galenus qui in agnoscendis proprijs malis coecutiuit, quid in alienis faceret?* Hippocrates quoque *suturam* capitis accepit *pro fractura*, dùm Specillo per tactum exploraret caput, & fassus est errorem perindè suum, vt scribit *Corn. Cels.* lib. 8. capit. 4. de qua re eleganter scripsit *Acchilles Bocchius*, his versibus.

Symb. 82.

Dùm fortè curaturus effractum caput
Magnus Specillo explorat, os Hippocrates
Deceptus à sutura, amicè & liberè
Confessus errorem est suum ipse posteris,
De more scilicet Virorum Illustrium,
Et maximam habentium fiduciam
Rerum. Ingenia enim leuia quæ nihil prorsum habent,
Nil detrahunt sibi: sed altis conuenit
Syncera veri hæc mentibus confessio.

Certè error iste Hippocrat. *plusquam palmaris* fuit, de quo admoneri potuerat ne dum à quolibet de tritio Cheirurgo, sed à vili *barbitonsore*, tàm verum est illud *D. Chrysost.* monitum, aientis alicubi, quòd *multa sunt quæ magni, & admirabiles Viri nesciunt, quæ tamen parui abiectique scire solent.*

Hom. de ferendis repreheñsionib9.

Videturque huc collimasse *Iustin. Imperat, de Vet. Iur. enucl. lib. 1.* cùm ait: *sed neque ex multitudine auctorum quod melius, & æquius est iudicatote, cùm possit vnius forsam, & deterioris sententia, & multos, & meliores aliqua in parte superare.*

Ipse

Ipse quoque Hippocrates *alios errores* in facienda Medicina, & curandis ægris posteris propalauit, vt videre est *lib. 7. Epid.* adeò vt *calida* pro *frigidis*, quandoque adhibuerit, contrà *Methodi* legem. Hoccine fateretur *Medicus gregarius*, & vix Latinè sciens? non puto. Imò proteruiret admonitus.

Sed ad presagia rursum venio. Non est Medicus *Vates* in prædicendo, vt Galen. lib. de Const. art. monet, qui alibi ità scripsit. *Nunquam errare in prædicendo, suprà captum hominis est, minimum errare artificis.* Lib. 3. præs. 43. Comm. vlt.

Et licet vates esset, adhuc errare posset. Errarunt aliqui. Exemplo sit *Nathan Propheta*, qui *Dauid* Regi Diuini *Templi* ædificationem prædixit, qui tamen reuocauit postera die, quæ pridie Dauidi perperam dixerat, vt habetur 2. *Reg. c.* 7. de qua re *D. Thom.* 2. 2. quæst. 171. art. 5. & *P. Suarez* disp. 8. de fide, sect. 4. num. 5. sed hic sistenda sunt verba *D. Greg. Magn.* Hom. 1. in *Ezechiel.* & notanda.

Sciendum, ait, *quòd aliquando Prophetæ Sancti dùm consuluntur, ex magno vsu prophetandi quædam ex suo Spiritu proferunt, & se hæc ex prophetiæ Spiritu dicere suspicantur; sed quia Sancti sunt, per Sanctum Spiritum citiùs correcti, ab eo quæ vera sunt audiunt, & semetipsos quia falsa dixerint, reprehendunt.*

Sed quiescamus tantisper, donec aliquid ampliùs scribendi, ansa nobis præstetur, iàm enim *labori litterario*, vt cum *D. Augustino* loquar, *pulmo noster cedit, trahitque suspiria.* Lib. 4. Conf. Interim repeto illud, ab eodem *Augustino* mutuatum, *Grati simus ex eo quod habemus, vt addatur quod non habemus, & non perdamus quod habemus.* Serm. 16 de Verb. Apostoli

FINIS.

Die 10. Septembris 1633.

EGO infrascriptus, vidi, & consideraui supradicta ab Excellentissimo Medico Sebastiano Bado, *exarata pro complemento sui operis; & nihil Inueni repugnans bonis moribus, nec Ecclesiæ Sanctæ Decretis, proinde Iudico posse imprimi cum iam approbatis.*

Ità dico ego Fr. Dionysius à Genua Reformatus S. Francisci, ac S. Off. Consultor &c.


Imprimatur.

Fr. Michael Pius Passus de Bosco, Inquisitor Generalis Genuæ.

1663. 3. Octobris.

Imprimatur ex auctoritate Excellentissimi, & Illustrissimi Magistratus Inquisitorum Status.

Franciscus Castagnola Cancell.



GENVÆ,

Typis Petri Ioannis Calenzani, in Platea Noua.
M. DC. LXIII.



INDEX CAPITVM,

Et §§. in Chinam Chinam.

a Cap. 14.

Cap. 9.



INDEX
Rerum Memorabilium in Chinam Chinam.

A.



Ficus

M.

M.

N.

O.

Vesi-

Ponenda suis locis.

Reliqua consule in Indice Capitum.

INDEX §§.
IN PHLEBOTOMIAM.

 ali-

INDEX
Rerum Memorabilium, in Phlebotomiam.

A.

B.

Reliqua tu notabis.



LE

LECTORI.



Requenter erratum est, pro more *Typographorum*, siuè ob inscitiam, siuè ob incuriam, qui potiùs castigandi, quàm *Typi*. Errarunt in *Columnis* distribuendis, & collocandis, siuè quia obliquè posuerunt, siuè quia non ad *amussim* respondent sibi. *Litteras* adhibuerunt sæpè detritas, & erosas.

In *interpunctionibus* sæpè erratum, in *accentibus* ponendis; omittunt, vbi his locus erat, ponunt, vbi non erat. Contigit id sæpè in verbo *Nemo*, pro quo pluries posuere *Nemò*, cum accentu. Verba quoque fecere *hiulca*, & disparata; quæ *iungenda* fuerant, separarunt magno hiatu, quæ separanda, *ingalia* fecere. Tu ad instar *Rhut Moabitidis*, non *grana*, sed *paleas* collige, si quæ remanent. Interim has paleas, à grano segrego. Vale.

In China China.

Menda	*Emenda.*	*Menda*	*Emenda.*
In primæ p. 4.	l. in prima.	Subditi p. 63.	l. subdit.
Sponte. In hoc sæpè deliquerunt.		supponitur p. 63.	l. supponit.
Sentisse p. 21.	l. sensisse.	immutat p. 70.	l. immutant.
philosopicis p. 31.	l. philosophicis.	alterat p. 70.	l. alterant.
Vescicæ p. 37.	l. Vesicæ.	parasarigis p. 72.	l. parasangis.
rapidoque p. 37.	l. sapidoque.	deformi p. 75.	l. deformis.
Saltem p. 39.	l. Salem.	narrant p. 77.	l. narrone.
imò p. 40.	l. imo.	recuperari p. 85.	l. recorporari.
Hippocratus p. 47.	l. Hippocrates.	Origene p. 85.	l. Origenes.
febrisugis p. 57.	l. febrifugis.	suit p. 86.	l. fuit.
Venetij p. 62.	l. Venetijs.	Nierembergius p. 89.	l. Nierembergius.
supponitit p. 62.	l. supponit.		

Se-

Menda	*Emenda.*
Serenissimis p. 94.	l. Serenissimi.
èmeritus p. 94.	l. emeritus.
proposuit p. 94.	l. proposui.
Æquitis p. 113.	l. Equitis.
R. P. *Thomæ Pediccini* pag. 116. errratum est in nomine.	l. R. P. *Iacobi*.
Expiat p. 120.	l. expiato.
quartamnam p. 120.	l. quartanam.

In Appendice de ficu febrifera, pag. 125. & vltrà, dixi *ficus ficus*, in genere masculino, quod non licet, nam ficus in *quarta declinat*. denotat arborem, in *secunda ficus fici*, fructum denotat.

Menda	*Emenda.*
Remdijs p. 126.	l. Remedijs.
Minùs calidis p. 151.	l. minus calidum.
remaciari p. 176.	l. emaciari.
Medicis p. 182.	l. Medicus.
moctatorum p. 188.	l. mactatorũ.
insouea p. 187.	l. in fouea.
ducendum p. 216.	l. dicendum.
possit p. 232.	l. possis.
est p. 235.	l. est.

ne quæ scripsit alias pag. 239. legendum est, *vt quæ* &c.

Menda	*Emenda.*
essent p. 245.	l. *essem*.
Paul. Ares. Ep. Derthonensis, perperam dictum.	l. *Dhertonensis*.

IN PHLEBOTOMIA.

Menda	*Emenda.*
Sanguinem missionem p. 11.	l. sanguinis.
& pag. 11.	l. sanguinis.
Crasci p. 27.	l. Crassi.
Sp. Ioann. Augustinus Peri. 43.	l. *Cl.* nam excidit e calamo properante *Sp.*
Sapientissimo Hugo Flisco 43.	l. Hugone.

In Approbatione ad finem opusculi, legendum est die 10. *Sept.* 1663. non 1633.

Reliqua pro tua lubentia corrigito.








GENOVA